מפתח בית משה
או
סיג להתורה:

UNIVERSITY LIBRARY CAMBRIDGE

Aa. 4.64

Hoc est,

Domus MOSAICÆ clavis:

Sive

LEGIS Sepimentum.

In quo punctorum Hebraicorum adſtruitur antiquitas: Eaque omnia, eùm accentualia tum vocalia, ipſis literis fuiſſe coæva, argumentis, undique petitis, demonſtratur.

Quæ verò in contrarium ab *Elia Levita* Primipilo, *Ludovico Capello*, D. Doctore *Waltono*, *Johanne Morino*, & *Gordonio Huntlæo*, ejus aſſeclis & interpolatoribus:

Cum paucis aliis, in Caſtra *Eliana* arte veteratoriâ pertractis, adducuntur, mulrâ cum fidelitate examini ſubjiciuntur, & diluuntur, quotquot ſunt omnia.

Auctore *JOSEPHO COOPER* Anglo.

אל תסתכל בקנקן אלא במה שיש בו יש
קנקן חדש מלא ישן:

Cantharum ne inſpicias, ſed quod ei ineſt. Eſt interdum Cantharus novus vino veteri plenus. R. Meir. Pirke Abboth. c. 4.

Legant priùs, & poſtea deſpiciant, ne videantur, non ex judicio, ſed ex odii præſumptione, ignorata damnare. Hieron.

LONDINI,
Typis *T. R.* Impenſis *Nath. Ponder*, ad Inſigne *Pavonis* in vico vulgo vocato Chancery-Lane, 1673.

117-09

HONORATISSIMO
ILLUSTRISSIMOQUE
DOMINO,

Domino *EDVARDO*

Vicecomiti de

CONWAY & KILULTA

Baroni de

RAGLY;

Literarum Literatorumque Omnium
Patrono longè Optimo.



Asce qualesquales Punctationis Hebraicæ vindicias (utpote qui, pro eo, quo est, judicio, de istis sententiam non injustam ferre

 calleat;

calleat ; pro eo, quo eſt, candore, Erratis ſiqua occurrerint, ignoſcere velit ; & pro ea, quâ eſt apud omnes Nominis Celebritate, adverſus Malevolos & invidos tueri queat) in

Honoris

&

Gratitudinis

τεκμήριον

Sacras eſſe

voluit,

Joſephus Cooper.

הקדמת חנכה

Reverendiſſimo
Clariſſimoque Viro Domino
EDMUNDO CASTELLO S.S. T.D.
Regiæ M. à Sacris: Linguæ Arabicæ apud
CANTABRIGIENSES Profeſſori digniſ-
ſimo; necnon Eccleſiæ Chriſti *CANTUA-*
RIENSIS Præbendario meritiſſimo.

Παρὰ δαίμονεϊν.



לי נציב אין יעמר השלטון
כאשר יאמר משל הקדמני:
ואף כי הבית הזה אשר בניתי:
הלא הוא מעשה אצבעותי
אשר על נקוד אני מחבר:
לכן האמנתי לעשות דבר
שוה לעמל אם להגן ואת
המגלה בעדי שה עוך בוכה
מובטח מאר בחנך ובחמלתך אדרשה צל הפחך:
חביב לארם כל מה שחרש ואני מחנשא לחוק את
יושנת נקודות מגן שמך נכבד חסרתי: כי אתה
יודוך המעשיך אשר שמועתם הולך בכל הארצות:
מי כמוך בחכמים אדוני אשר את כל לשונות
קרמוניות ידוע ידעת: ובפרט בהביטי אל סורה
מלים שבעתים שחברתהו עם רב העיון מכתביה
הוא ובעצם השמים לטוהר הנה השתומתי על
המראה:

המראה: כי הוא המעשה באשר עין לא ראתה
מעולם עד הנה בד פוס בחוט שבעתים הורה:
משום הכי תשתעשע נפש כלי שומע ובקול חודה
תהלך ותאשרך: אבל כמו שאמרו הראשנים
למרגלית דלית לה טימי כלי שמשבח בה פנמה:
ואני להרפס ולהוצאות מכתב הזה עליך על כרך
זולתי הקב"ה בושה וחרפות חורפי תסחינה:
מהחל חרמש בקמה ידוע ידעתי כי יהיו רבים
בעינים רמות ובחוטם כפוף משחיקים עלי ומלעיגים
ביונתנו חפלה ולחרפה לי אם אוציא לאור את
מגלתי הואת לבושה בגדים הצאים וקרעים
בדור וו שבו אין נחשב כל למאומה לולי חשב
הוא מעיל בוץ כתנת שש וחשבן כדמות
הנויר וך משלג צח מחלב אדום ספינים ספיר
גורתו: אולם אני לא יכלתי כפי חפצי לקשט
הפסוקים בכל מיני החנשיטים: אף על פי שעדים
וציורים נותנת המעשה הזה לא דורשת: כי לבניך
הזה היא סנולה אחת יחידית וזה כמו שהכרחתי
בחברי את מסכת הואת אחרי העניים לרדוף
לא אחרי דקות המלים: וזה אשר אמנם כמו
שסבור הייתי איש לא יכפר בי: ויעל על הנורל
ואני סמח בחלקי: אכן לא עיפה נפשי ובל תחשך
ידי מחרש: כי אם התנחמתי בואת שלא לעשות
לי שם ולהעלות זכרי אבל להתקים את תורה על
מכון הנקודות ושעמים אני כותב: בודאי שלא כל
אצבעות החכמים שוות על דבר זו: אין דוך
ישרה ורכה מספקות ומנבוכות לאמת: יש
אומרים כי אנשי טבריא נקודות יוצרים המה:
המתיקו הכוד ורכו דבריהם משמן: כי אם נחש
טמון בעשב וסברה הואת היא בנויה על
מענות חלושות אם אנכי לפי ענות דעתי נחש
נחשתי:

נחשתי: לו אנשי מרמה באלהי יעובו את המכתב
הקדוש: ואות היתה טובה גדולה מאד מאשר
עשו: כי בחמתם דברי חשך ואפלה החשיבו
משחור תארו: וכל המשחיר פני התורה בעולם
הזה הקב"ה משחיר ויויו בעולם הבא:
ואני להבהיר דברי לתורה את ספר הזה אשר
יבוו לו הסתיהדים מחבר: על אשר כמו
שנאמר בספר זוהר לית קיומא ונהירו לכל
אתון בר בנהירו דנקודות: אמנם בל נניח
להעשות נוק למקרא הזה אם נוכל אסור לנו
לדאג יותר מראי אבל לא להתעסק בענייני
חובתינו: בין קורנס וסרן אני עתה עומד:
אתה מגן לי על רמחי המרע: כי אנשי שיש
בם גסות רוח רודפים את הנקי בכל יום:
הנה אלה מתהללים ברבר שקר: אבל לריק
התוכחו המה על אמת אשר הוכיח להם יי
על דיעה גסה: טובה לי עליהם לחוס
ולרחם מהתנקם: אני בלעדי אחוה אתה
ארוני חורני אם משגה שגיתי לא אוסיף: רק
כראוי בעדי לאמר אמרתי ולענות עניתי דבר
הזה בחורפי כי שמרתי דרכי אמת ולא
רשעתי מארחות מישור על כן אני בוטח:
כי לא תושת עולה על מי שהביא קצת מן
הדברים הנכוחים כאשר לא הגיע אל חכליתם:
ואתה איש המפואר ידעת כי אונס רחמנא
פטריה: אין להאריך: ואת לבר עתה כתבתי
לעסקי הברחיים אשר לא אוכל מלט: רק אל
שראי

שראי יחנך כנפשך ארני ויחי: מקור מעשיך ובלם מחמדים ברוך בקרב הארץ: ואתה פרה מחוק פתעסקים בתורה וחחוק בעטרת חיים בעולם הבא: כרה חפל תעבדך כל עוד נשמתי בי לכל מצותיך מוכן לעשות ועבד נמכר לצמיתות לא יצא ביובל:

יוסף כופר:

מבירת שבתי במשלי בשדרה ויגורניאה בחדש התשיעי בכסלו בשבעה עשר יום לחדשבשנת סט"ללדת המשיח לפרט קטון:

In

In Sepimentum *Legis* ab amico ſummo & punctorum Hyperaſpiſta fidiſſimo D. *Joſepho Cooper* editum.

DE Punctis meritò certas, cum nullus Iota
Aut apicem, à verbo tollere jure queut.

Puncta minuta quidèm, magni ſed ponderis omne:
In parvo multum eſt; Mors tua, vita tua.

Si tollas mutéſve tuam fortaſſe ſalutem,
E media tollet. Zelotypus *Deus eſt.*

Non dedit omnipotens Oracula Delphica *nobis:*
Omne Dei verbum luxque lucerna manet.

Qui curit, legat hoc, per ſe ne γγὺ tenebrarum
Continet; eſt cunctis regula, norma viæ.

Ænea frons illi, qui gannit dogmata Sacra,
Et cera naſum; ſunt lapis hæc Lydius.
Vix Homo divini cultus ſermonis habendus:
Qua domini ſpernit, negligit ipſe ſua.

Aufers ad placitum de ſacro codice puncta?
Cætera quæ reſtant, ſunt Chaos, atque Babel.
Ex cathedra dictes Rabbi, mihi ſolvito dicta.
Quid vile M. D. T. *ſis & Apollo mihi.*

Contextus narrat. Sed circulus hic Loyolanus:
Quod facit, hic facio; quod facio, facit hic.
Utile cum dulci Cooperus *præbuit. Euge!*
Puncta tulit, ſervet, non moritura ſibi.

Gulielmus Milnerus, A.M.

Doctiſſimo

Doctissimo Viro *Josepho Cooper* è lectione tractatus de punctis Hebraicis Carmen liberius natum.

Quid Poetæ cum punctis? quid cani Balneo?
Audebo carmen. Musa Palæstina *enixa est,*
Sed Matronales. *Quid ni concinant triumphans*
Athenarum Io, *Dium Solymarum Selah?*
Helicon *quidem dulcis,* Iordan *salutifer.*

Gratulor mihi, meæque religioni
Abunde gratulor. Non est, desultorios
Luxurians genius venditet Criticismos.
Animo præsenti est pietate Staticâ
Sacros veneramur conices, sed punctatos.

Quis certum faciet, cum quisque Rabbi mystes
Polypo *similis inconstanti redderet*
Quodvis verbum Phantasiæ cuivis affine,

Dum quævis vox est Materiæ Primæ *ad instar*
Omnium formarum capax informis ipsa.

Nunc dierum sanè aulicantes femina,
Stellulas, Lunulas, imò quidèm Asterismos,
Zodiacum *penè totum faciei impingunt.*
His maculis sunt deformes punctati vultus,
Formosior verò domina Graphe *suis.*

Puncta coæva literis, Gemellos *quasi*
Et uno spiritu natos, res ipsa probat.
Quæ Deus verò conjunxit, nemo separet.
Si essent Superfætatio Masorethica
Monstrum informe ingens sacræ *fuissent* literæ.

De minimis minùs curant Juris Consulti.
Sed (pace eorum, si non, ingratiis) dicam,
Quod apices juris *hic sient ipsa* jura.
Biblia sacra *cœli* literæ patentes,
Punctis sigillantur, sigilla infringat nemo.

In

In orbe ſacro Canonico ſtellæ ſixæ
Puncta effulgent. Et Planetæ, ſi ignes fatui,
Bone Deus! quæ Cynoſurâ *dirigemur!*
Si ſtrictura incude Rabbinicâ *excuſſa ſint,*
Chriſtianiſmo *ſanè grande inurunt Stigma.*
Buxtorfii *inſignes, pater & filius* jure
Hæreditario *punctorum hyperaſpiſtæ:*
Capellum *alter, & alter* Levitam *perſtringit.*
Marinus, Voyſin *hâc de re benè meriti.*
Tu vero, Mi Coopere, omne *tuliſti* punctum.

Samuel Carterus, *Iſtus.*

Ad Eruditum, pium ac dilectissimum *Josephum Cooper* hujusce libri Auctorem, *carm.*

Κ΄ωμος ΚΗΠΙΗΡΟΣ, πλάσθ' αὐτῷ βιβλίον ὧδε :
Σπεῖσαι τῷ ἔργα καρπὸς ἔκαι εἶν :

Καρπὸς μέντοι εἶν, ὃς ἔχεισ' ἡδύσματι γεύσιν,
Καὶ πᾶσι προχέι νάματα πνευματικά.

Σπεῖσάς ὅπως ἀρῷ, τῦς ῥηϊτοῦ γνήσιον βίβλον,
Σύγχυσις ἐυκεινῆ, ἢ παῤῥάυρε λόγον.

Τέυξας Κυπήριοι ἔργ' ὅτω γὰ ἀνάγι,
Ἣν σύμπας σίβει, ἐυχαρίσατα χάρις.

J. W.

PRÆFATIO
AD
Lectorem.

IN iſtam, pro veritate Hebraicâ, quantùm à punctis tum vocalibus, tum accentualibus pendet, decertationem, quam ego concinnandam ſuſcepi, ſuſceptámque ad metam uſquè, σὺν Θεῷ tandem perduxi, optimè mihi quadrare videtur illud Elearchis *apud* Athenæum; *nihil uſquè eſt hominum carpere quod nequeas.* Οὐκ ὄιμαι γὼ πνὰ ἄπως εὐλογῆ γεγενῆν ἢ γενέσθαι ἢ μηδεὶς ἀντερεῖ ἀλλ' εὔλογον ἐκείνην νομιστέον ἢ μηδεὶς εὐλόγως ἀντερεῖ. Clem. Alex. Strom. lib. 1. pag. *mihi* 203. *Ego prorſùs cum illo*

existimo nullam scripturam adeò felicitèr procedere, cui nullus omninò contradicat; sed illam existimandum est, esse rationi consentaneam, cui nemo jure contradicit. Non sum equidem nescius Censorum turbam rigidissimam, & huic, quicquid est operi iniquam, & mihi operis Auctori infestam esse futuram. Quid, quæso, aliud præter convitia, & graves quasdam contemptu turgidas subrisiones ab iis sperem qui φιλαυτίᾳ glaucomate laborantes, & invidiæ stimulis perciti susquè dequè ferunt omnia, nisi sua. Me supellectilem curtam attulisse, tela ex aliorum Armentariis exprompsisse; scribendi genere, nullis periodorum lenociniis, sententiarum elegantiis nullis, instructo usum esse actum denique egisse clamitabunt ogganniéntque. Sed istiusmodi homunciones, qui nec volunt prodesse, nec possunt, omnium tamèn laborem despicatui habent, eúsque pro eâ quâ sunt, indole longè pessimâ, reprehendunt, traducunt, lacerant, quasi nati fuerint ad honestos quosque conatus reprimendos, securus audio. Si quis verò iniquus istiusmodi ictus intentet, clypeum habeo quod exultabundus obtendam; hircinos nimirùm crines, ad tabernaculi structuram offerre, tam Deo gratum, quàm quod gratissimum. Nec mediocri mihi pectus perfudit solatio, quod (utì olim Lactantius) *non eloquentiæ sed veritatis fiduciâ susceperi hoc opus, fortasse majus, quàm ut possit meis*

meis viribus sustineri: quod tamen, etiamsi ego defecerim, Deo, cujus est hoc munus, adjuvante, veritas ipsa complebit. Lactant. lib. 3. cap. 1. pag. mihi 234. Memini apud Diogenem Laertium in vitâ Menedemi haec sub finem verba occurrere; θεῶν μὲν ἴδιον τὸ μηδενὸς δεῖσθαι· τῶν δὲ θεοῖς ὁμοίων τὸ ὀλίγων χρήζειν; Deorum esse proprium nullius rei indigere, eorum verò, qui Diis essent similes, paucis egere. Quae sanè verissima est sententia, Si pro Diis Deus substituatur atque Deo similes, in statu gloriae considerentur. Deus ut aliis rebus non eget, sic nec opere nostro, nos verò & Dei gratiâ & alii aliorum egemus auxiliis bonum quodvis opus aggressuri, quamdiù in hoc carnis laqueo haeremus impliciti. Nimis profectò alto somno sopitus est, qui suae ἀδεξίας pariter ac rectè agendi ἀδυναμίας neque conscius est, neque pertaesus. Ego interim dum mentem ad proprios defectus accuratius reflecto, atque ineptiorem ad hanc punctorum vindicandorum provinciam memet sentio suspirabundus, sententiis, argumentis ac testimoniis virorum; qui me in hanc palaestram priores descenderunt, longè doctissimorum, frequentius uti necesse habui, quibus tamen characterum semper distinctionem licèt sapiùs id factum sit, addere non opus esse credidi. Nec pudet ab iis accepisse quod solidum, rationi consentaneum & in efficacissimas punctationis hebraicae vindici-

ne cessurum videretur, malentem aliena, si modò fuerint validiora, quam mea, per omnia adducere; uti olim, causâ haud absimili, Pellicanus; *Calamistratos, unctos, & delibutos qui verborum fasciculis & sententiarum phaleris inhiant, & ut aures demulceantur, quàm ut animus simplici veritate imbuatur, magis cupiunt*; Ego ad Ciceronem, Livium, Salustium *cæteroſque istiusmodi verborum mundinatores* (λεξιδίων δημάτορας, *uti* Clem. Alex. 205.) *remissos volo omnes. Deus enim* (*inquit* Lactantius lib. 3. cap. 1. pag. 234.) *hanc voluit rei esse naturam, ut simplex & nuda veritas esset luculentior, quia satis ornata per se est ideóque ornamentis extrinsecùs additis fucata, corrumpitur: Mendacium verò* ſpecie placet alienâ; *quia per se corruptum vanescit ac defluit, nisi aliundè ornatu quæsito circumlitum fuerit ac politum.* ὥ τοίνυν περὶ τὴν λέξιν ἄλλα περὶ τὰ σημαινόμενα ἀναστρεπτέον. *Non est ergo versandum in dictione, sed in iis quæ significantur. Lectores, si modò ex isto, quem suscepi impugnandum, errore salvos præstitero, de dictiunculis non est quod sim nimis solicitus.* Σωθῆναι γὰρ ζητοῦσι διὰ τοῦτο μὴ σωφρόνως τοῖς σώζεσθαι βουλομένοις βέλτιον εἶναι μὴ σωθῆναι τὰ λεξίδια μηδὲ τὸν κόσμον. Clem. Alex. Strom. lib. 1. pag. 215. *Opem enim ferre ut serventur ii qui servari cupiunt scio esse optimum, non autèm dictiunculas tanquàm quasdam or-*

ornamenta componere. Nos igitur quos veri magis quàm verborum amatores esse oportet, utilia potiùs quam plausibilia, sectamur; neque id quærimus ut in nobis inania seculorum ornamenta, sed ut salubria rerum emolumenta laudentur: in scriptiunculis nostris non lenocinia esse volumus, sed remedia, quæ scilicet non tam otiosorum auribus placeant, quàm ægrotorum mentibus prosint, magnum ex utrâque re cœlestibus donis fructum reportaturi. Salvian. de gubern. Dei, præf. in lib. 1. pag. 3. *Quandoquidem verò viri ex utrâque parte longè doctissimi extant qui hanc de genuinâ punctorum origine controversiam agitârunt, & libris etiam editis sunt digladiati, alii in illam, alii in hanc partem inclinantes, ne cui igitur frustrà hanc instituisse diatribam, atque actum egisse videar, Proverbium illud verè aureum Arabum in ore jactatum urgeo.*

Structura firmat alia aliam. Erpen. Adag. Arab. 128. *Si maximè constaret, me nihil argumentorum novorum pro punctorum antiquitate pugnantium produxisse, tamèn non statìm indè sequitur, me inutilem prorsus navâsse operam: si quidem aliquid firmamenti veteribus sit forsàn accessurum, ex eo quòd iterùm prodeant meo quali quali suffragio & calculo comprobata. Certo certius Ecclesiæ Christi utile est, plures libros a pluribus fieri, etiam de quæstionibus, iisdem, diverso*

stilo,

ſtilo, diverſâ non fide, ut ad plurimos res ipſa perveniat, atque ut hæreſium proſeminatores, non tantum argumentorum pondere, ſed ut Catholicorum unitis ſuffragiis oppreſſos tandem paniteat, pudeatque. Hoc Divo certè Auguſtino arriſit, cùm dixit, optandum eſſe, ubi hæreſes vigent, ut, quicunque aliquâ ſcribendi facultate præditi ſint, ii ſcribant omnes, etſi non modò de rebus iiſdem ſcripturi ſint, ſed eadem etiam aliis verbis fortaſſe ſcripturi. Sed hoc inſuper habeo apologematis me non tantùm vetera omnia exprompſiſſe argumenta, ſed etiam nova aliqua non infimi momenti (abſit ex parte meâ vanitas, ex aliorum invidia verbo) excogitâſſe, quibus genuina punctorum antiquitas firmiùs innitatur; eaque non tantùm Eſraitica, ſed, ni fallor, literis coæva. Utut, Cum quot & quantis opprobriis Hebraicos fontes afficiendi anſam ex præſumptâ punctorum novitate, uſquè arripuerint Pontificii animadverterem, à meis haud alienum eſſe credidi partibus, ſi genuinam punctorum antiquitatem, argumentis quibus potui validiſſimis, pro ingenioli modulo & viribus quibus munifica cæli manus me clementius inſtruxit, aſtruerem, ac ab intentatis vindicarem criminibus; idque invincibili ſolâ ſuſpitione, quâ adhuc teneor, ſi malum ex opinione Elianâ oriundum ulteriùs graſſaretur, nè de ipſâ ſacrarum literarum αὐθεντίᾳ & ſummâ quâ pollent authoritate conclamatum ſit

per-

permotus feci. Operæ pretium autem hic forsan fuerit observare quibus gradibus & per quorum conatus ad ipsam ἀκμὴν processerit hæc de punctorum novitate opinio. Hujusce opinionis olim mentionem feciſſe; Angelum Politianum, Lyram, Paulum Burgenſem, Johannem Picum Mirandulanum *&* Raymundum, *libri, cui titulus eſt,* Pugio fidei, *authorem, contendit doctiſſimus* Waltonus; (Conſiderat. conſider. cap. 10. pag. 226.) *nec meâ quidem intereſt inficias ire. Sed convenit* Eliam Levitam *natione Judæum, profeſſione ſuperioris ſeculi Grammaticum, hanc primùm ſuſcepiſſe opinionem patrocinandam: quem* Zuinglius, Lutherus, Petrus Martinius *& alii inter reformatæ fidei theologos, pro eâ, quâ erant, facilitate, ſunt ſecuti, quippe qui nihil mali inde oriundum ſuſpicati fuerint. Quantam verò malorum Iliadem hæc* Eliæ novitia *invexit opinio, nos vivi ſumus experti. Jeſuitæ enim omnes hâc datâ portâ, nulla non blaſphemiarum portenta nullas non* Bibliomachias *invexerunt.* Quia enim viderunt inverſionem quarundam literarum præſertim mutatione punctorum, ſe aliquando potuiſſe hebraicum textum ad verſionem ſuam Latinam inflectere, omnes ferè Pontificii in eo conſentiunt, puncta hebræorum eſſe humanum inventum, & quidem Judæorum poſt annum Chriſti quingenteſimum, adverſus Chriſtum & chriſtianam

ſtianam pietatem malè affectorum. *In* Poſſevinus Biblioth. ſelec. lib. 2. cap. 18. Serrarius in proleg. Biblior. Gordonius Hermannus *cum multis aliis, vid.* Prideaux. lect. 12. pag. 181. *Non verò obſtantibus, quæ hinc elicere ſatagunt Pontificii, opinionum portentis in ſententiam* Elianam *à* Buxtorfio *ſeniori olim radicibus convulſam, abiérunt, imò ex profeſſo quantum in ipſis, eam adſtruxerunt è noſtris* Ludovicus Capellus *cujus rationes* Buxtorfius *Junior expendit & confutavit; Dom. Dr.* Waltonus, *cujus ſententiam Bibliorum Polyglottorum, quo jure, quâve injuriâ Prolegomenis inſertam, diſputatione planè nervoſâ expugnavit Dr.* Owen; *& Dr.* Prideauxius, *quem unà cum* Ludovico Capello *& Doct.* Waltono *argumentorum tum pondere, tum numero obrutum in hoc quali quali tractatulo invenire licet. Habetis tandem, Lectores candidi, Natales horrendi iſtius monſtri, quod, obſtetricante* Eliâ Levitâ *primitùs natum* Ludovicus Capellus, Johannes Prideauxius, & Brianus Waltonus *cum aliis è noſtris poſtmodùm educârunt, & Jeſuitæ omnes tot jam annis in ſuo contubernio nullis non ſacrarum literarum ſpoliis ſaginârunt uti* Amanae de barbariei ortu, *ac ipſius ad ἀκμὴν progreſſu. Tot igitur jam annis funeſtarum ſuper Hebraico textu, & ejus punctatione, diſſidiorum, cum ſerra fuerit reciprocata: Quis tandem theologorum ſe inſontem*

præſtite-

præstiterit, qui susquè deque ista habet studia, sine quibus quid veri falsive hisce inste controversiis comperiendi haberi nequit? Honorem equidem & decus cuique suum intactum esse cupio. Nam כל המלבין פני חבירו ברבים כאלו שופך דמים: Metsia. fol. 58. col. 2. *Quicunque publicè ignominiâ afficit socium suum, perinde facit, ac si effunderet sanguinem. Sed (proh dolor!) notius est quam ut negari queat, quam turpiter hodiè à plerisque Theologiæ studiosis Linguarum negligantur studia.* Lutherus, Amama, Scultetus *& alii haud infimi subsellii Theologi, supinam hanc Ministerii evangelici candidatorum* τῶν τόμων *incuriam sunt insectati. Meum verò non est, eo quo ipsi pro summâ suâ in Ecclesiâ Christi authoritate cæperunt, pede pergere: Sed potius Theologiæ Christianæ cum nullâ non animi abjectione oratos habere (utinam & per viscera misericordiæ Christi, exoratos habeam!) ut Linguæ sanctæ cognitionem studiis suis, non dico, quasi* πρῶτον, *sed quasi* πρόεργον, *adjiciant. Minimum ex omnibus, qui magni Jesu legatione funguntur, me esse lubens fateor, atquè ideò indignissimum, qui alios officii ntglecti vel* ἀμελουμένου *præstiti admoneam: Sed vestrâ magni interest, vestrâ, inquam; qui Theologiæ operam datis magni interest, ut moniti accuratiorem officii rationem habeatis! Quò vero inexplebilis quædam linguæ sanctæ cognitionis acquirendæ*

rendæ cupido, atquè sanctior ambitio vos efficaciùs corripiat, teneatque, incentiva quædam, & quasi diligentiæ calcaria suggerere, vestrâ cum bonâ veniâ, libet.

(1.) *Magnam, quam ex linguæ sanctæ cognitione, percipere licet, utilitatem sensibus imò reponatis. Tanti fecit hujusce linguæ cognitionem* Lutherus *ob eam, quam indè perceperat utilitatem, ut seriò protestatus sit; suam Linguæ Hebraicæ quantulamcunque cognitionem infinitis Aureorum millibus carere se nolle.* In Comment. Psalm. 45. *Non minoris hujusce Linguæ cognitionem habuit* Melancton. *Scio (inquit prea, quâ fuit, modestiâ) me vix primis labris degustâsse Heb. Græc. & Latin. literas, sed tamen hoc ipsum quod didici quantulumcunque est, propter judicium de religione, omnibus mundi regnis omniumque opibus longè antepono.* Tom. 4. Orat. pag. 471. *Certè nemini qui vel primis hanc linguam degustavit labris incompertum est, quantum prodest ejus cognitio vel cum hostibus de veritate hebraicâ serram controversiæ reciprocaturis, vel genuinum spiritûs sancti sensum investigaturis, vel denique doctorum commentarios lecturis christianæ Theologiæ studiosis. O igitur sanctæ hujusce linguæ fructum! O insignem quam habet in hostium veritatis sophismatibus detegendis dissipandisque vim! O maximam quam habet in literis sacris*

cris interpretandis utilitatem! Hinc veluti ex ſacro quodã Armamentario, arma licet ſumere quibus noſmet contra omnes adverſariorum inſultus petulantiores defendamus, illiſque os obſtruamus., nobis Lectiones varias, correctiones ſcribarum, verborum ambiguitates, punctorum novitatem, & id genus alia, objicientibus. Hinc tanquam filo Ariadnes ducti, ex variarum & diſcrepantium interpretationum Labyrintho noſmet expedire & quod genuinum eſt approbare, quod verò ſecùs ſe habet reprobare promptiùs poterimus. Hinc denique nativam vocum hebraicarum ἐνέργειαν, quam nulla alia lingua ſatis venuſtè exhaurire valet, deguſtare, peculiares hujuſce linguæ Idiotiſmos, qui ſæpiùs in unâ periodo coacervantur, obſervare, & frequentem conſtructionis hebraicæ varietatem, in ſuas quaſi partes diſſecare, adeoque genuinum ſpiritûs ſancti ſenſum elicere poterimus. Quis igitur Theologorum, rem tantam deſpicatui habeat? Quis hanc cui gladius ille ſpiritûs eſt inſertus vaginam objiciat? Quis Arcam hanc ſeu thecam repoſitoriam, in qua veritatis κειμήλιον aſſervatur, pedibus conculcet? Certè hujuſce linguæ cognitione deſtituti, quod veritati elicienda, quod falſitati convellendæ valdè utile ac peridoneum eſt, Organo carere videntur. Verbo dicam, Negâſſe linguæ Hebraæ cognitionem Theologiæ candidatis eſſe utilem, pertinacis eſt. Hujuſce verò linguæ

*cognitioni acquirendæ operam non dare, est forsan animum desponden*tis. *Adhuc igitur*

(2.) *Ut aliquid spei Theologiæ studiosis effulgeat, & ut Linguæ Sanctæ levior cupido, quâ tenentur, in fixam tandem assurgat resolutionem, persuasum habeant, istiusmodi esse linguæ sanctæ indolem, ut nullo ferè labore cognitio ejus acquiri queat. In aliis valet Adagium* χαλεπὰ τὰ καλά: *Hæc verò lingua omnium licèt pulcherrima, difficilis tamèn nequaquàm. Qui suum semel præjudicium vicerit, hujusce linguæ difficultates nullas habebit vincendas. Testes sunto, Judæorum non parvuli, non solùm mulieres, & vulgus qui linguam hanc, licèt jã olim illis desiit esse vernacula, discunt sed & fœminæ christianâ stirpe oriundæ, quibus nunquam fuit vernacula, quæ eam feliciùs didicerunt.* Hieronymus *in epistolâ ad* Eustochium *conscriptâ hæc de* Paulâ Eustochii *matre habet. Hebræam Linguam discere voluit & consecuta est ut Psalmos Hebraicè caneret, & sermonem absque ullâ latinæ Linguæ proprietate personaret. Quin & de* Blæsillâ *hujusce nobilis* Paulæ *filiâ testatur, quòd paucis diebus difficultates linguæ sanctæ superavit. adeò ut in discendis canendisque Hebraïcis Psalmis cum matre contenderet.* Epist. 25. *De quâdam* Joannâ Vaz Lusitana, *D.* Catharinæ Lusitanorum *reginæ, famulâ, scribit* Ludovicus in Præfat. Gram. Heb. *eam tantam linguæ sanctæ*

pe-

peritiam acquisisse, ut epistolam ad Rom. Pont. hebraicam doctissimè scripserit. Sed hisce adhuc adjungere possumus illustres alias ac pientissimas nostræ Angliæ *fœminas, quæ linguæ sanctæ peritiam haud vulgarem, etiam assecutæ sunt; quarum de numero una æstimetur, putà Ornatissima D.* Maria Bidolph *illustrissimi Domini* Theophili Bidolph *equitis filia, quæ profectò in linguâ sanctâ sub piissimi pariter ac ingenuossimi Theologi D.* Titi Thomasii *auspiciis, quàm felicissimos fecit progressus. Hoc inexplebili linguæ sanctæ desiderio correptæ Matronæ & virgines jam dictæ præstiterunt: Quod ergò, Theologiæ Candidati, (utì* Amama) *suæ inertiæ ac socordiæ obtentum quærent? Nè verò præjudicata difficultatis opinio adhuc hæreat, Virorum Hebraicæ linguæ peritissimorum sententias adducere visum est.* Erpenius (*quantus vir?*) *de Linguæ sanctæ difficultate verba faciens, dicit, non esse magnam.* (Præf. Gram. *hujusce Linguæ*) *modo rectè & ordine eam persequamur. Tantam fore, affirmat* Martinius (præf. Tech. pag. 42.) *facilitatem ut, plus unius aut alterius mensis spaciolo in eâ quàm in Græcis aut* Latinis *toto ferè anno proficì possit. De linguis Orientalibus in genere monet* D. Gulielmus Beveridgius, (*cujus Encomiasten se præstitit vir* πολυμαθέστατος D Dr. Castellus *in præfatione, quam* Lexico *suo* Heptaglotto, *Isti scilicet literaturæ Orientalis prodigio*

ac induſtriæ planè ſtupendæ τυμπλω, *præfixit*) *non eſſe ut in hac re mens metu concidat vel pavore minimo concutiatur. Mira enim* (*inquit vir ille ingenioſus in* diſſert. de Linguarum Orient. præſtantiâ ac utilitate pag. 34.) *harum linguarum facilitas omnibus in iis vel mediocriter verſatis, benè perſpecta fuerit; poſt acquiſitam enim linguam Hebraicam, quæ ut in ſe eſt, ſic & ab omnibus omnium facillima exiſtimatur, quiſpiam in intimos cujuſlibet aliarum receſſus pauculas ſolummodò indies impendens horulas, menſtruo, aut ad ſummum bimeſtri ſpatio, idque proprio Marte penetret. Quid igitur eſt quod vos, inquam, Theologiæ Chriſtianæ filii, diſtinet, quo minùs tantum theſaurum tantillo labore vobiſmet comparetis? Si cùm tam facilis aditus, tam plana via, & tam deniquè brevis labor vobis proponatur, conſeneſcitis nullâ hebraicæ linguæ cognitione, ſcientiâ nulla inſtructi, quam tandem excuſationem afferre valebitis? Quod ſibi apologema prætexet ingenium virile in iis ob præconceptam difficultatis opinionem negligendis, quæ ingeniolum fœminile tentavit, imò & tentata fœlicius vicit? Auſim ſpondere illos qui ſtudiis Hebraicis tantum temporis impenderint, quantùm tubulo Nicotianæ imbibendo* (*quo nunc pars bona ſtudioſorum pro Hydrogogo, uti conſuevit*) *tùm manè tùm veſperi impenai ſolet, ſeriò operam dederint, progreſſus in hujuſce linguæ cognitione*

nitione haud vulgares brevi esse facturos, adeò ut mirentur se esse tam doctos antequàm didicerint. *Sed*

(3.) *Nemo unquàm hujusce linguæ peritus evasit quin ex illâ in usum traductâ jucunditatem ac volupium hauserit incredibile. Certè literæ Hebraicæ, si quæ aliæ, dignæ sunt, quæ omne ferant punctum, licèt iniqui rerum æstimatores, omnia illis adjudicârint puncta, quippe utile dulci nunquàm non miscere consueverunt. Radices suas habet lingua sancta non verò amaras & mordaces, sed planè istiusmodi, quæ mirificâ suavitate ac deliciis plusquàm paradisicis effodientis animum explent & perfundunt. Unde meritò cum Divo* Hieronimo *ad Urbicam, postquàm Alphabeti Hebraici significationes tradiderat*, 2. tom. pag. 314. *dicere fas est. Quid hoc sacratius sacramento? Quid hâc voluptate jucundius? Quo cibo, quæ mella sunt dulciora, quàm in Dei sacram prudentiam (quæ scilicet nusquàm non in hujusce linguæ Mysterio elucescit) & in abscondita ejus intrare, & sensum creatoris & sermones Domini Dei vestri, qui ab hujusmodi sapientibus deridentur, vos plenos doceri sapientiâ spirituali? Habeant sibi cæteri, si velint suas opes, gemmâ bibant, serico niteant, plausu populi delectentur at per varias suas voluptates & dementias vincere nequeunt. Hisce ex* Lactantio *addam fua sibi habeant regna re-*

ges, ſuas divitias divites, ſuam prudentiam prudentes, relinquant mihi tantùm linguam ſanctam (iſtam (quam cum Luthero *appellare licet) vaginam, cui gladius ille ſpiritûs, videlicet verbum, eſt inſertus, iſtam arcam ſeu Thecam repoſitoriam, quæ hoc nobile κειμήλιον aſſervat, iſta pocula quibus ſalubrem hanc potionem exceptam circumferimus) & ſi quando hujuſce linguæ vel unam literam, nè dicam apicem cum omnibus mundi gazis, ac ſummis imperii honoribus commutaverim, mihi extremæ ſtultitiæ univerſi, per me licet, notam inurant!*

——trahit ſua quemque voluptas.

Sed veritatis Hebraicæ, quàm ſuave nomen, quàm pulcher Idiotiſmus, quàm amœna, & flexanima eloquia! Piorum ac doctorum verſionibus ſua quidem ineſt gratia, ſuæ veri nominis ſpirituales deliciæ; ob quas dignæ ſunt, quibus piique & boni omnes debitum honorem, debitam ſuam deferant æſtimationem. Sed gratia iſta eſt participata, non prototypa; nec fontis ſunt, ſed rivuli iſtæ deliciæ; quo nomine minùs ſinceræ, minùs puræ, minùs defæcatæ ſint oportet. Nam Hebræos prophetas velle cogere (inquit Lutherus) *ut Germanicè (addam & ego cum* Amamâ *quavis aliâ linguâ) loquantur, perindè eſt ac ſi Philomelam quis cogeret, ut dul-*

dulcissimâ suâ melodiâ relictâ, malisonam cuculi vocem imitaretur. Pulchrè Paulus Fagius præf. in Paraph. Cald. *ut semper purior aqua ex ipsis fontibus magis, quàm ex lacunis inde derivantibus hauritur : Ita puriora quodammodò sunt quæ ex ipsis linguis primis, in quibus Dei oracula nobis tradita fuere, tanquàm ex limpidissimis fontibus hauriuntur. Hanc Fagii assertionem suo comprobavit calculo doctissimus* Rivetus. Isag. cap. 18. pag. 101. *Sunt itaque, (ait vir ille pius) nonnulla (in codice, scilicet sacro. V. T.) quæ lector, aut Auditor vel minùs concipit, vel minùs iis oblectatur, vel etiam quæ minùs intelligit, in quibus, qui linguæ peritus est, tanquàm poma ex ipsâ arbore delibans, nescio quid dulcoris aut dulcedinis hauritt, quod manu interpretis velut contrectata amisisse videntur. Haud abludit* Martinius, *qui multis de fontis suavitate præmissis hoc tandem subnectit Epiphonema. Quarè si nihil aliud ex hisce literis nisi delectatio sola peteretur, tamen eam per se expetendam esse judicaremus* præf. Tech. pag. 27. *Certè Stoicismum sapiat & prorsus ἀπαθὴς sit, oportet, qui pomorum ex hâc arbore vitæ decerpendorum cupidine tangi, qui laticum perenni scaturigine ex hoc Paradisi fonte promanantium, desiderio degustandorum inflammari, qui denique ipsum Deum propriâ suâ dialecto nos alloquentem audiendi & sacratissimum spiritûs sancti idioma (præ*

quo omnes græcorum χάριτες sunt ἀχάριτες, & ingratæ Latinorum gratiæ) perspectum habendi studio rapi & sacrâ quâdam fame se cruciari, minùs patitur. O mirificam hujusce linguæ dulcedinem! O ineffabilem primigenii idiomatis leporem! Tanta quidem venustas Hebraicis literis inest ac nativa gravitas, ut nullus planè hominum est, præter ignorantem, quem suopte motu in sui amorem & admirationem protrahere nequeant. Sed

(4.) Ingens telum necessitas; *quo igitur hic in rem meam uti visum est. Præterquàm enim, quòd* dulcius ex ipso fonte aquæ bibantur, *necessitas subindè requirit, ob vocabulorum proprietates & ἐνεργείας quæ in linguas vernaculas transfundi nequeunt, ob hæreticorum & aliorum Novatorum ἀντιλογίας, qui facilè quidem elatis ac inflatis collis tumescerent, si à peritis hujusce linguæ viris oraillis non obstruerentur, deniquè ob variarum versionum conflictum & dissrepantias, aut codicum fortè vitiositatem, ad ipsos fontes recurrere, quò veritas fidelius percipiatur eliciaturque.*

Hinc textum originalem præclarè veritatis titulo insigniunt, post beatos ecclesiæ patres, omnes Protestantium Theologi; imò superque cum Melanctone *contendunt, quod scriptura non potest intelligi Theologicè, nisi priùs intelligatur grammaticè.*

Sculț,

Scult. Obſ. in Mat. & Marc. cap. 74. *Qui enim* (*inquit* Franzius de interpret. ſcrip. pag. 53.) *noſcere cupit verbum Dei, ut ab auctore Deo fuit promulgatum; citrà omnem literarum, vocabulorum, Phraſium, & ſententiarum detorſionem, inflexionem, immutationem, additionem detractionemque, purum putum, is illud non leget aut intelliget niſi in eâdem linguâ quâ à Deo primitùs eſt promulgatum.* Divus Hieronimus *inſignis linguæ ſanctæ magiſter, nihil æquè contrà ſuos æmulos urgebat, ac Hebraicam veritatem, nihil ſæpiùs inculcabat: primas editiones fontibus, tranſlationes verò indè per interpretes, factas, rivulis comparans. Hinc in commentariis capitis octavi* Zachariæ, *dicit, Cogimur ad Hebræos recurrere, & ſcientiæ veritatem, de fonte magis quàm de rivulis quærere. Dedit manus* Divus Auguſtinus *de* doct. Chriſt. lib. 2. cap. 2. *Ubi in eandem ita loquitur ſententiam; Latinæ linguæ homines duabus aliis ad ſcripturarum divinarum cognitionem habent opus, Hebræâ ſcil. & Græcâ ut ad exemplaria præcedentia recurratur, ſi quam dubitationem attulerit, Latinorum interpretum infinita varietas. In hâc ſententiâ* Ambroſium, Eraſmum, Burgenſem, Laurentium, Clarium, Lyranum, Mercerum, Pagninum, Rivetum, Amama, Montanum, Lutherum, Genebrardum, *& alios certè magni nominis viros, in aliis licet*

diviſos

diviſos, pulcherrimâ tamen conteſſeratione convenientes adducere poteramus, ſi quidem opus eſſet. Sed in re tam perſpicuâ quid adhuc hæreo? Dentur verſionum errores corrigendi, dentur tranſlationum diſcrepantiæ conciliandæ, Quis nullâ linguæ ſanctæ cognitione inſtructus vel illos repurgare, vel haſce dirimere queat? Hic certè nullæ niſi ab inſpecto fonte expectandæ ſuppetiæ; remedia nulla. Judicium de iis, quæ ſunt corrigenda, & de iis, quæ ſecum in gratiam ſunt redigenda, ex textu originali, latum & enatum, ſi non adhibeatur, (proh dolor!) quàm ſæpè ex variis, quæ extant, interpretationibus, peſſima & falſiſſima, à quibuſdam arripitur, cùm optimam ſe ſequi credant! Hoc verò judicium, quis præter literarum originalium peritum, ferre noverit? Aut ex verſionibus invicèm repugnantibus dicere, quænam illarum ſpiritûs ſancti mentem fæliciùs aſſecuta eſt, valuerit? Qui Hebraicarum Græcarumque literarum eſt rudis, ad verſiones diſcrepantes accedens, quàm ſæpè hærebit, quàm miſerè fluctuabit, neſciens prorſus cur hanc magis quàm illam ſequatur! Licèt forſan iſtiuſmodi rectè aliquid ſubindè dixerint (inquit Lutherus) *incerti tamen fuerunt, an videlicèt in Originali ità eſſet, ut illi interpretabantur. Pulchrè dicitur in veteri Hæbræorum adagio.* אַל תַּרְבֶּה לַעֲשֹׂר אוֹם דורֵז *Nè aſſueſcas decimas dare per conjecturas.* Pirk. Abhol. cap. 1.

1. *Si decimas per incertas dare conjecturas non decet; quantò minùs decet Animarum pastores fide implicitâ fretos, divinos sacri textûs seu fontis originalis latices, populis per incertas conjecturas propinandos dare? Per incertas dixi conjecturas eò quod, qui Latinum solummodò textum intelligit, dici non potest,* (*uti* Aloysius Catenæus *sententiam suam de Authenticatione Tridenti dicturus*, vid. Amama Paræn.) *infallibile Dei verbum intelligere. Talis enim solummodò intelligit vocem interpretis, qui erroribus obnoxius est. Quid verò Pastoribus Evangelicis magis indignum, quàm, ut per interpretem cum Deo loqui, necesse habeant. Miserum certè est in re tantâ, à quâ tota hujusce vitæ securitas, futuræ salus pendet, non propriis, sed alienis cernere oculis, eos præsertim, quorum officii ratio severiùs exigit, ut aliis se oculos præstent vicarios. Quis jure dicat ob vulgatæ versionis canonizationem, notam infamiæ Pontificiis esse inurendam, dum ipsi homines, qui hanc Romanensibus vertunt vitio, translationi licèt forteàn melioris notæ mordicùs adhæreant, omnia fidei dogmata ex illâ depromant, fidem ipsam in translatorum authoritatem ultimò resolvant, &* (*de quo* Junius *&* Tremellius *olim graviter sunt conquesti.* Præf. *in* Bib. *ad* Fred. 3.) *rivulis humanâ operâ ductis ità acquiescant, ut fontes ipsos haud unquàm investigent aut consulant?*

Quid

Quid aliud hoc eſt, quæſo, quàm credulitate planè Pontificiâ clavum ſeu gubernaculum mentis ſuæ aliorum manibus committere, & alienis oculis videre malle quàm propriis? Hoccine eſt Theologos agere? Hoccine avidos veritatis cæleſtis inveſtigatores noſmet præſtare? Hoccine fideles codicis ſacri aſſertores & hyperaſpiſtas noſmet præbere? Quid ſi præſtò ſint verſiones & commentarii virorum tum pietate tum doctrinâ pollentium, quibus pro re natâ, uti liceat, nùm igitur noſtrâ minùs intereſt, ſcrutari ſcripturas, & Spiritum ſanctum ſine interprete nos alloquentem audire? Audiatur Martinius *eorum perſtringens vanitatem, qui cognitionem linguæ ſanctæ non eſſe neceſſariam clamitant, eò quòd fideles virûm eruditorum extent verſiones: Verum eſt (inquit) nihil eſt neceſſe teipſum oculos habere & videre, quorum ſit opus; potes enim alienis oculis credere; potes ſi quo eundum ſit, manu à puero tuo duci; erue igitur tibi oculos, quoniàm carere iis potes. Ut etenim in illarum artium rebus, Græca & Latina, ſic in libris ſacris lumen & oculus, quo divina perſpicimus, eſt Hebræa lingua, Cujus ſcientiâ & fructu cum te tuâ ſponte privas, tùm tibi oculos eruis, quibus illa cernuntur & cognoſcuntur.* Præf. in Technolog pag. 23. *Hæc & hujuſmodi, quæ non ex privatâ meâ opinione, ſed ex aliorum omni exceptione majorum, Linguæ ſanctæ perdiſcendæ*

discendæ suggessi incentiva, spero Theologiæ christianæ studiosos despicatui minimè gentium esse habituros: quippe ex quibus, si modò accuratius expendantur, innotescat, me non supervacaneum aut infructuosum laborem suadere, sed usûs & sanctioris voluptatis; indolis facilis, & necessitatis permagnæ. Quid igitur superest, nisi ut omnes quotquot uspiàm sunt, Theologiæ studiosi, sacrâ linguæ Hebraicæ fame laborantes, ejus cognitioni comparandæ studeant, quâ tandèm instructi, sacras paginas primigeniâ dialecto legant, imò & intelligant, imo & ad rationem vitæ sanctiùs instituendam sua sibi pectora indè inflammari sentiant? Ecquid hoc fructu melius? Ecquid hâc perceptâ utilitate utilius? Ecquid hoc effectu ex literis Hebraicis oriundo efficacius Theologiæ studiosos moveat, ut deditâ operâ, & summo nisu contendant, ut linguæ sanctæ tandèm evadant periti? Sed vereor nè hisce diutius, quàm Epistolii ratio permittit, sim immoratus, nimio forsàn linguæ sanctæ promovendæ adductus studio. Quamvis & illud confidam (uti Anama præf. in Antibar. Bib.) *Theologiæ studiosos prolixitatem nostram non incusaturos; nisi fortè aut indoctiores esint, quàm ut intelligant, aut doctiores quàm ut egeant; aut negligentiores quàm ut curent, aut morosiores, quàm ut perferant. Istiusmodi omnium securus finam præterfluere censuras, eo solo contentus, quòd in toto*

hoc

hoc opere Dei Opt. Max. gloriam, & eccleſiæ Chriſti in hiſce terris peregrinantis ſalutem, ob oculos verſantem ſemper habuerim. Quàm felicitèr, aut infelicitèr finem mihi præſtitutum fuerim aſſecutus, cum tempore innoteſcet: Ego impræſentiarum dubius & anxius hæreo, utpotè & meæ tenuitatis, & adagii Arabici memor; viz. non omnis, qui, quod pulchrum eſt, amat, illud facit; nec qui ſtudet facere idipſum perficit. Erpen. Adag. 157. *Verum-enimverò quale quale hoc quod concinnavi, opuſculum fuerit, aliqualem de eo ſpem foveo, quòd non omninò infelices ſortiatur ſucceſſus, utpotè cui nomen Dei inſcribatur. Nam ut loqui conſueverunt Hæbræi.* כָּל־עֵצָה שֶׁהוּא לְשֵׁם שָׁמַיִם סוֹפָהּ לְהִתְקַיֵּם: *Hoc eſt, omne Conſilium quod eſt ad gloriam nominis Dei tandem ſtabilietur.* Talbut. Pſal. 1. fol. 89. col. 4. *Quid verò in gloriam nominis Dei magìs cedet, quàm textûs originalis, cui verbum Dei* ἔνγραφον *unum certè ex glorioſis ejus nominibus inſeritur, vindiciæ? Qui Rabbini audiunt, ipſi forſàn ſibimet dedecori ducerent, non animoſè & intrepidè aſſeruiſſe, Textum originalem, ſine iſtarum minutiarum, quæ puncta dicuntur, ſubſidio, ſartum, tectumque ſervari poſſe: Ego vero meticuloſus qui nullâ non angor ſolicitudine nè conceſſâ punctorum novitate, tota veteris Teſtamenti corruat authoritas, Hiſce, quas vocant, minutiis patrocinari*

trocinari neceſſe habui. Metuenti enim de textu originali mihi ſubiit, ſummo timore me affecit, affectumque ad ſcribendum impulit, monitum iſtud Rabbinorum logicum. אַל־תְּבַזֶּה׃ Hoc eſt, לְדָבָר הַקָּטוֹן כִּי יִבוֹא לְדָבָר הַגָּדוֹל׃ *nullam unquàm rem parvam contemnas: facile enim poteſt fieri maxima.* Miſchpar. Happeninim. *A quo nec abludit comprehenſa adagio Arabico ſententia hæc.*

Fortaſſè parvum antrum multa dederit mala. Erpen. Adag. pag. 82. *Qui hæc & iſtiuſmodi in punctorum negotio, pro eâ, quâ ſunt, confidentiâ, ſecuri audiunt ac intrepidi, ignoſcant ſummo malorum omnium ex ſententiâ* Elianâ *oriundorum metu laboranti, & mecum ſi quam habent, ſecuritatis rationem candidi communicent. Aut ſi iſtud nimis moleſtum duxerint, hoc ſaltèm ab illis impetrem, nè poſthâc mihi moleſtias exhibeant, ſed ut proprio ſenſu in hiſce, quas ipſi minutias vocant, per illos abundare liceat. Supereſt, Lectores candidi, (ſi verbis* Salviani *mutatis mutandis, finituro uti fas ſit) ut quia ego functus ſum partibus, & vos fungamini veſtris, Oretis ſcilicet Dominum Deum noſtrum, & orando, quantum in vobis eſt, id impetretis, ut tractatus qualis qualis ad ſacrarum literarum honorem conſcriptus, tantùm apud Deum ſcriptori ſuo*

proſit,

profit, quantum eum prodesse ipse omnibus cupit. Nec injustum, puto, est desiderium quo tantum sibi aliquis præstari postulat pro salute, quantum ipse optat cunctis pro charitate. Sal. Epist. in lib. de Ecclesia Cathol. pag. 338.

Finitur *Novemb.* Die 7.
Anno æræ Christianæ 1669.

Josephus Cooper.

UNIVERSITY LIBRARY CAMBRIDGE

CAPUT I.

In quo, de ſacrarum literarum integritate, necnon de variis Adverſariorum technis, quibus eam ſuſpectam reddere olim ſunt conati, & etiamnum audaciùs conantur, paucula præmittuntur.

INTER pleraſque omnes fœvientis mundi, quibus in hiſce temporum ulceribus, vel inviti jactamur, procellas, haud ultimum ſalutis diſcrimen, iſti errorum turbines intentare videntur, qui ſacroſanctarum literarum ἀδιαφθορίαν, ſolicitatum, ſubtritum, ac funditus convulſum eunt. Cæteri omnes errores aliquid monſtri in ſe fovent: ſed hic unus ipſam vitæ doctrinam, prodigioſâ & lethali quadam μεταμορφώσει, in monſtrum transformat horrendum. Particulares ſunt cæteri ferè omnes, atque ideo particulari tantùm labe inficiunt, errores: cùm verò error hic ſit πρῶτον ψεῦδος, idque veri nominis Catholicum, nihil eſt quòd

miremur; si pro genio suo longè pessimo, omnibus fidei nostræ Momentis, fideique cultoribus, toxicum suum periculosiùs misceat propinandum. Multo sanguine vulneribusque Ecclesiæ Christi in hisce terris peregrinanti jam olim cæteri steterunt errores, & etiamnum stant: sed error hic solus Christianæ Religionis petit jugula; imò totum corpus, quantum quantum est, fodicare, transfigere, & lancinare sufficit. Quippe corrupto fonte, ut in rivulos omnes, perenni scaturigine, inde promanantes, corruptio derivetur; transfosso corpore, ut omnia membra calore vitali destituta collabascant; fundamento denique convulso, ut totum nostræ Religionis ædificium ruat, necesse est. Nam, si ulla sacrarum literarum contemeratio sit jure concedenda, quid certi firmive restat, unde ὑγιαινόντων λόγων ὑποτύπωσιν fideles sibi compingant? Quis tantâ oculorum acie pollet, ut verum à falso, salutifera Dei documenta, à malè sanis humani cerebelli deliramentis disterminando se idoneum ostentet? Absit, ut mens divinæ veritatis amore delibuta, suspicionem in sacras paginas tam contumeliosam admittat, nedum foveat! Meliùs profectò cœlesti doctrinæ, fidissimo supremi Numinis fato, consultum est, quàm ut istiusmodi unquam pateretur naufragium, ex quo vix tandem emergens, nullis certitudinum velis, remigio nullo instructa, humanarum conjecturarum (quas stultorum Asylis, non Christianæ πληροφορίας columnis annumerare fas est) assumentis & quisquiliis resarciatur, necesse haberet.

Quam

Quam olim in ſacro codice doctrinam Eccleſiæ Chriſti Θεοπνευστος habuit conſignatam, eandem numero, Deum Optimum Maximum, pro providâ, quâ eſt in Eccleſiam, curâ, per tot retrò ſæcula, ad hunc uſque diem, integram & illibatam benignius conſervaſſe, ac ſemper ad minimum veritatis apiculum eſſe conſervaturum non tantùm religio, ſed & ipſa ratio, credamus, jubet. Ad hanc verò Chriſtianæ fidei *Acropolin* muniendam, & ad hoc cœleſte depoſitum ſanctumque tectumque conſervandum, quid præſtiterint quovis ferè ſæculo *Orthodoxi*, haud vacat narrare, neque, ut narrationem concinnarem, præſentis inſtituti ratio poſtulat. Verum enim verò ne cui ſcrupuloſiùs, quàm par eſt, intemeratam ac omnimodam ſacri textûs ἀδιαφθοριαν aſſerere videar, priſcam Chriſtianorum Fidem ex *Munſteriana* Confeſſione huc tranſcribendam eſſe putavi; quæ quidem Confeſſio, ſacras paginas, quod attinet, ita ſe habet. יֵשׁ לָנוּ אֱמוּנָה שְׁלֵמָה בְּתוֹרָה וּבִנְבִיאִים וּבִכְתוּבִים וְכָל-מַה שֶּׁכָּתוּב בָּהֶן שֶׁלֹּא לְחִנָּם נִכְתַּב וְאֵין דָּבָר רֵיק אוֹ דָּבָר שֶׁעוֹת אֲפִילוּ נְקוּדָה אַחַת אוֹ אוֹת אַחַת אִי אֶפְשָׁר וְאֵין רִבּוּי וּמִיעוּט בְּתוֹרָה אֶלָּא הַכֹּל לְצוֹרֶךְ לִדְרשׁ בְּשֵׁם וּלְיַשֵּׁב הַמִּקְרָאוֹת עַל אוֹפָנָיו שֶׁאָנוּ מַקְרִיא יוֹצֵא מִידֵי פְּשׁוּטָה: Verba hæc Latinè ſi interpreteris, hunc ſenſum fundunt. Eſt etiam nobis fides perfecta, in lege, & Prophetis, atque Hagiographis, & in omni eo quod

ſcriptum eſt in eis, quod nihil ſcriptum eſt in eis ſine cauſa, nihil denique ſit in eis ſupervacuum, nullum verbum erroneum, imò non redundet ullus punctus, aut ulla litera, aut ullus apex, nihil ſit nimium, aut diminutum in lege, ſed totum ſit neceſſarium, & excutiendum, à nobis ponendæque ſingulæ ſententiæ ſuper ſolium ſibi conveniens; ſiquidem nullus eſt verſus Biblicus, qui egrediatur limitem planum.

Hactenus de ſacro textu, deq; literis ac punctis, quibus conſtat, ex interpretatione *Munſteriana*, priſca Chriſtianorum fides. Sed heu, quantum in hiſce temporum fæcibus, ab illa receſſum eſt! imò quanta cum prurientis animi petulantia, in aliam, ac planè contrariam itur! *Celciſtas*, *Manichæos*, *Julianiſtas*, & cæteros ejuſdem fermenti Antiſcripturarios lubens taceo: quippe quorum iniquiora in ſacras literas conamina per tot retroacta ſæcula, illos nec immeritò, & gratiâ, & amore apud pleroſque omnes ſpoliârunt. Sed (proh dolor!) hoſce omnes in Jeſuitis redivivos, & ex eorum toxico ſe longè latéque diffundente, odium in ſacras paginas infœliciùs repullulans, obſervare licet: agente nimirum Satanâ eoſdem (ut doctiſſimi cujuſdam phraſiologiâ utar) cuniculos; qui ne recens deſit diſcordiæ ſeges, ita conclamatas reſuſcitat è puteo hæreſes, ut cum revolutionibus cœleſtibus in orbem redire videantur. Hinc, quò facilius Eccleſiam reformatam funditus convellant, in ſacri Codicis ἀδιαφθορίαν totam Sophiſmatum molem convertunt; hanc Religionis reformatæ *Acropolin* totis viribus

viribus aggrediuntur Jesuitæ; & quam rationum momentis prosternere nequeunt, calumniis onerant, atque dicteriis insectantur iniquissimis. Sed, qui à unico veritatis tramite semel exorbitârunt, ut in studiorum divortia abeant, oportet. Ποικίλον γὰρ (uti *Ignat. ad Philip. Epist. pag.* 176.) ἐστιν ὁ τῆς κακίας σπόγγος, κλεπτικὸς, ἄστατος, ἑαυτῷ ἐναντίος. Omnes quidem Jesuitæ in votis habent, ut Authentiæ gloriam vulgatæ versioni Textus originalis concedat: sed quibus μεθοδείας textum Originalem plausibilius fugillent, eique vel invito hanc Authentiæ palmam præripiant, minùs convenit. Alii ex Librariorum ἀβλεψία & incuria sacrosanctas Scripturas multis in locis depravatas esse, clamant. Alii ex Judæorum odio in Christi nomen flagrante, immanem sacrarum literarum corruptionem profectam esse, contendunt. Alii denique aliud habent, quod in sacri codicis contumeliam oganniant. Inter omnia verò, quæ Voluminibus Archetypis à Papicolis intentantur, ἐγκλήματα, haud infimum obtinet locum illud, quo statuunt fontes Hebræos à Rabbinis, qui puncta Hebraica excogitârunt, illaque excogitata sacro textui inseruerunt, adeò corruptos esse ac inquinatos, ut ad eos in Controversiis Theologicis provocare, non liceat. Insignis profectò injuria, quâ Christianæ fidei fundamentum audaciùs afficiunt, illudque quasi in odium obortæ lucis, convulsum eunt. Habet sacra Scriptura, inquit *Bellar.* (*lib.* 1. *de Verb. Dei cap.* 2.) suos quosdam errores, qui irrepserunt partim ignorantiâ

 Rabbinorum,

Rabbinorum, qui addiderunt puncta. Cùm enim possint dictiones Hebraicæ variis modis legi si punctis careant, non est mirum, si aliquando ipsi quoque in notatione punctorum à vero aberraverint. Haud abludit *Possevinus*, puncta esse inventum humanum, & quidem Judæorum contra Christum, & Christianam pietatem malevolentissimè affectorum, statuens. *Bibliot. Select. lib. 2. cap. 18.* Eâdem aberrat chordâ *Morinus*, Textum Hebraicum sine punctorum ope non tantùm *δυσνόητον*, sed *ἀνεξήγητον*, & prorsus *ἀνεπίληπτον* esse contendens; atque ideò Normam fidei esse non posse; quippe qui totum, quem fundit sensum, punctis infœlici & erroneo molimine affixis, acceptum fert. *Exercit lib. 1. cap. 2.* Sub eodem prætextu, contra limpidissimos sacræ Scripturæ fontes, pleno impetu insurgit *Gordonus Huntlæus*, unà cum *Gregorio* de *Valentia*, qui ambo, quasi in facinus jurati, ut Textus Hebræus ad vulgatæ versionis exemplar castigetur in votis habent, huc in fidei Controversiis tanquam ad sacram Anchoram & unicum corruptelarum remedium esse confugiendum immodestiùs vociferantes. *Gord. Hunt. Controver. Epitom. tom. 1. contr. 1. cap. 8. Greg.* de *Valent. disput. 5. tom. 1. qu. 3.* Hinc versionem vulgatam ad ravim usque crepant subdoli hi Andabatæ, Textum Hebraicum nusquam non Græcâ fide indignius tractantes, ut tandem ex confictâ versione ac malè consarcinata Editio corrigatur Authentica.

Sic pugnat sic est metuendus Ulysses!

Sed

Sed hoc fuco veteratorio, hiſce technis opus habuit iſta cauſa, cui ſtatuminandæ Jeſuitici operam dant atque ſatagunt tenebriones, ut, ſi quis ſupremi Numinis ἀλαβίᾳ permotus, idololatriam hæreſes, aut tyrannidem eorum ex textu ſacro oppugnaturus eat, ipſi poſt tot Anathemata proſcriptiones & vivicomburia incaſſum tentata, textum ipſum ex animo radicitus evellant, & quem prælio fundere nequeunt, prelo & ſtratagemate confundant. Hujuſce operæ pretium ceperunt Papicolæ maximum, & quod, leonem, non potuerunt, id vulpem agentes ſubtiliùs effecerunt, dum ex præſumptâ punctorum Novitate, Catholicorum alii eandem ferè cum Pontificiis deploratam corruptionem ſacro codici affingunt; (cujus commatis eſt *Ludovicus Capellus*, & cenſorum omnium longè ſuperciliociſſimus, *Iſaacus Voſſius*) alii verò, ab hoc blaſpemiæ genere abhorrentes licèt, ora tamen blaſphema ſolvunt in omnes genuinam punctorum antiquitatem religioſiùs aſſerentes, haud ſecus ac ſi digniſſimi fuiſſent, qui omnium dicteriis ac ſibilis excipiantur. Cæterum non eſt, quod Jeſuitæ hoc plenis buccis crepent Artificium, cujus quidem Authores nequaquam ſunt, etſi iniqui ejus interpolatores ſunt ubique locorum, non ſine ſummo animi abominantis affectu deprædicandi. Quod Apoſtolus Gentium de ſuis dicit Corinthiis, ideni (mutatis mutandis) de præſumpta punctorum Novitate, dicere fas eſt. *Elias Levita* ſuperioris ſæculi Grammaticus, hoc, quale quale eſt, plantavit φύτευμα; credulitas quorun-

dam Reformatorum rigavit; incrementum verò dedit apud Pontificios, Jesuitarum, apud nostros Capellianistarum sedulitas. Obtendit quidem doctissimus *Waltonus*, (*Considerat. Consid. pag.* 226.) hoc quicquid est, opinionis olim multo ante tempora Eliana, apud viros summâ eruditione Hebraicâ pollentes, extitisse: quin & D. D. *Owenum* in Republica Orientali se nequaquam inferiorem, ob opinionem de punctorum Novitate *Eliæ Levitæ* tanquam Authori adscriptam, nullis non convitiis ibidem iniquissimè onerat. Sed illum dolo usum fuisse Generalia ista, in quibus versatur, suspicionem faciunt. Adblanditur sibi de Authoribus ante-Elianis, ejusmodi facit *Joannem Picum Mirandulæ Lyram*, *Raulum Burgensem*, *Martinum Raymundum*, *Angelum* Politianum: sed nec loca, nec verba, quibus novitatem punctorum adstruunt, præter unius Politiani, vel in Proleg. 38, 39. quò lectorem remissum vult, vel in libello isto, cui titulus, the Considerator considered, ubi instituti ratio exegit, ut adduceret. Quos igitur ipse appellat, ego in sententiæ Antiltigmaticæ origine investiganda, minùs moror; quippe quorum aliqui nihil habent, quod ἀγοστόμαχον, aliqui in sententiam planè contrariam abierunt, nulli verò sunt, qui punctorum Novitatem deditâ operâ, & publicè priùs susceperunt patrocinandam, quàm *Elias Levita*; nec evinci potest contrarium ex Authoribus, quorum nomina, ipse ad Lectoris & favorem emerendum, & oculos præstringendos, adduxit gloriabundus.

riabundus. Quicquid enim, Ante-Eliani fovebant, ſuſpicionis, ipſe *Elias* ſuâ ſolius fretus authoritate, eò impudentiæ proceſſit, ut puncta Hebraica Novitatis Rabbinicæ, adductis undique argumentis, primus incuſaverit, non ſine ſumma ſacri Codicis injuria. Quum igitur ex punctis novitatis Rabbinicæ damnatis, non modò textus Hebraici lectio, ſed & Spiritûs Sancti, in eo loquentis, genuinus periclitetur ſenſus, ſententiæ Elianæ ut obviam eatur, oportet; ne tandem hoc πλανεσφορίας Hebraicæ fundamento concuſſo, niſu planè fruſtraneo vociferari, δὸς πῦ ςῶμεν, δὸς πῦ ςῶμεν, cogamur hæſitabundi. Ego proin ex ſumma, quam ſacroſanctis Dei oraculis debeo, religione ac εὐλαβείᾳ, ſententiam Elianam à *Ludovico Capello*, haud ita multo ante à D. D. *Waltono* nuperrimè interpolatam, σῶ Θεῷ, ad calculum eſſe revocandam, & punctorum antiquitatem graviſſimis rationum momentis adſtruendam eſſe putavi. Quod ſi hanc ſpartam exornaturo, fœlix fauſtuſque mihi affulſerit ſucceſſus, ſpero non ingratam fore viris cordatis ac piis, iis præſertim, quibus minùs vacat, multos percurrere Authores, nec fortaſſe præſtò ſint, quos, ſi vel maximè lubentes, percurrant. Hic enim per compendium de punctatione Hebraica ſcire licet, quæ ad veritatis Hebraicæ πλανεσφορίαν viam ſternant, & ſacrarum literarum deleant opprobrium.

Quæſtionis igitur ſtatus non ſit ab eo diverſus, quæ ſacrarum literarum cauſæ plurimùm intereſt.

An

An puncta scilicet Hebraica, quibus Biblia hodierna donantur, sint ejusdem prorsus cum sacri Codicis consonantibus, antiquitatis? vel an potiùs sint recentius aliquod inventum, à Masorethis tiberiensibus excogitatum, & textui sacro post annum à Christo nato quingentesimum, pro eorum arbitrio affixum? Negamus nos, & jure negamus puncta à Rabbinis Tiberiensibus esse excogitata, & sacro textui insulta: sed contrà illa ipsis Hebræorum literis esse coæva, firmissimis freti argumentis affirmamus. Ista verò haud prius sunt in medium proferenda, quàm cùm varias Doctorum de punctationis origine opiniones, tum nonnullas præfatus fuerim hypotheses, quæ apprimè videntur necessariæ, ut ad ea, quæ in promptu sunt argumenta, urgenda, via expediatur commodior.

CAPUT.

CAPUT II.

In quo ſententiarum de genuina punctorum Origine divortia, lectoribus, quaſi Synopſi factâ, ſubjiciuntur obſervanda.

QUIA nobis (uti *Alſtedius* caſu haud abſimili) non licet eſſe tam Beatis, ut unam omnes de punctorum origine ſententiam tueamur, magnum eſt operæ pretium diverſas doctorum opiniones de punctationis Hebraicæ primordiis conferre, ut quid in hac cauſa ſit probandum, quid verò improbandum, tandem conſtet.

Ad opiniones igitur circa punctationis Hebraicæ Originem, quod attinet, quinque ab invicem diverſas reſenſuit Clar. *Buxtorfius*; D. D. *Waltonus* quatuor; *Hottingerus* totidem, quot *Buxtorfius*, nec plures, nec pauciores: aliquot tantùm, an omnes in numerato habeant, mihi nec vacat, nec ob miſerandam bibliothecæ inopiam, judicare fas eſt. Certè punctorum inventionem quidam hiſce, quidam illis ferunt acceptam.

1. Rabbi *Aharon ben Aſcher*, & Rabbi *Jacobo ben Naphthali*; qui ambo in vivis fuerint anno demum à Chriſto nato, milleſimo, triceſimo, & deinceps. Hanc ſententiam amplexus eſt *Genebrardus* in Chronologia, *pag.* 181; ſed non ſine turpi hallucinatione, & parachroniſmo. Sic & *Quinquarboreus. Ling. Heb. inſtit. cap. 2. pag. 7. & Lud. in glob. pag. 62.*

2. *Ma-*

2. *Maſorethis Tiberienſibus*, qui poſt confectum Talmud, ſæculo poſt Chriſtum quingenteſimo, aut ſexcenteſimo, notas hodiernas vocalium & accentuum, excogitârunt, & textui ſacro, veræ lectionis conſervandæ ergô, appoſuerunt. Hanc de punctorum origine opinionem, *Elias Levita* in *Maſor. Hammaſor.* operoſè ſtabilire conatus eſt. Illum ſequuti ſunt ex Papicolis multi, ex Catholicis aliquot, illi ex odio, quo veritatem Hebraicam proſequebantur, hi verò ex nimia, quâ tenebantur credulitate. Nemini verò plus fuit in deliciis hæc ſententia, quàm *Morino* & *Huntlæo* ex Pontificiis; *Capello*, *Voſſio*, & D.D. *Waltono* noſtrati ex Reformatis, qui omnes tanquam pro aris & focis certantes, eam mordicus propugnant.

3. Eſræ & viris Synagogæ Magnæ, è quorum numero fuerunt *Haggæus*, *Zacharias*, *Malachias*, *Nehemias Zorobabel*, multique ſacerdotes primarii è Babylone in Judæam reduces. Hæc quidem ſententia ſuperioribus longè tutior eſt, quippe quæ punctationem divinæ eſſe authoritatis ſtatuit, atque ideo iſtiuſmodi, cui in omnibus adhærere ſecuri debeamus. Hanc igitur amplexi ſunt opinionem viri, qui de lingua Hebræa, & de ipſa religione Chriſtiana optimè meriti ſunt: hi ad unum omnes punctationis inventum, tanquam lectionis ſubſidium neceſſarium, ſummo in pretio habent. Quinque terminales (inquit *Reuchlin. lib.* 3. *cab.*) longè poſt *Eſra* ſimul cum punctis adinvenit. Pluribus huc ſpectantibus, quæ ex ſcriptoribus tum Judaicis,

daicis, tum Christianis proferre licet, brevitati ſtudens ſuperſedeo.

4. Eidem planè authori (quiſquis tandem ille fuerit) qui ipſas literas primus invenit; atque ideo hujuſce ſententiæ patroni, puncta conſonis (quod rationi maximè conſentaneum) eſſe coæva, ſtatuunt. Nec deſunt viri doctrina & eruditione Orientali ornatiſſimi, qui in hanc abierunt ſententiam, eamque defendendam ſuſceperunt. *Alſtedius* ille Ἐγκυκλοπαιδ[illegible] ſententiâ Elianâ damnatâ, opinionem ſuam hiſce verbis ſubdit. Ego ſic judico: puncta Hebræorum ſemper fuerunt inde ab initio hujus linguæ, tametſi non ſemper ſcribendo expreſſa fuerunt. In *Theſaur. Chronolog. cap.* 35. *pag.* 271. Quanto cum zelantis animi fervore hanc ſententiam *Flac. Illyricus in Clavis Scriptur. part.* 2. *cap.* 6. *Marcus Marinus Brixianus in præfat. Lexic. Heb. Amandus Polanus in Syntag. lib.* 1. *cap.* 37. *pag.* 486. *& Gerhardus in Loc. Commun.* 1. *cap.* 15. ſunt tutati, nemo ferè doctorum eſt, qui neſcit. Hanc quoque ſententiam calculo ſuo comprobant *Antonius Rodolphus Cevallerius in Rudimentis Ling. Heb. cap.* 4. *Petrus Cevallerius ibidem in Annotationibus ſuis, Guil. Poſtellus lib. de Origen. cap.* 6. *Bohlius, & Ledebuhr in Schalſcheleth Hammikra.* Author *Margaritæ Philoſophiæ. pag.* 115. Hiſce adſtipulatur Clariſſimus *Hottingerus*, qui profitetur, ſe nequaquam exiſtimare, ullum fuiſſe tempus, quo non Hebræa lingua expreſſas habuerit notas vocalium, ſi non in omnibus libris, in iis ſaltem, ubi neceſſe erat. In *Theſaur. Philolog.*

lib.

lib. 1. cap. 3, pag. 400. Item *Engelbertus Engel præfat. Lexico Pentaglotto Valentini Schindleri præfixâ*; ut & ipſe *Schindlerus in Lexic. pag. 1792. qui capite Judicum 12 adducto, de vera* שִׁבֹּלֶת pronunciatione hæc habet. *Ephratæi* literam ש proferre non poterant, ſed ejus loco ס proferebant: & hinc apparet fuiſſe tunc punctum *Samin*, & per conſequens, alia quoque puncta. Hunc tamen Authorem, antiquitatem punctorum ante-Eſraiticam licèt tam diſertè affirmet, piâ quadam fraude, ſed non ſine manifeſto veritatis præjudicio, in caſtra Eliana abiiſſe, crepat non nemo. Vim haud multo leviorem *Pico Mirandulano, Chamero, Reuchlino, & Pellicano* intuliſſe videtur idem Author. Ille enim ſententiam Elianam mundo propinaturus, illam per ſe guſtui delicatiori ingratam, edulcorandam magnorum nominum aromatibus eſſe duxit: ſed pace tanti viri, ſi in vivis adhuc egiſſet, dixerim, illos, quorum nominibus glorioſulus incedit ſtipatus, non omnes in ſententiam Elianam abiiſſe, ſed eſſe ex illis, qui aliter, atque contrarium planè ſenſerint. *Mirandulanum* quod attinet, in epiſtola ad ignotum ubi agit de mutatione literarum Judaicarum, quam ab *Eſra* factam eſſe ferunt, ita ſcribit. Percontatus ſæpè in *Mithridatem* & multos Judæos, qui neſcios ſe hujus mutationis omnes prædicant: addit, & pro comperto habent, iiſdem, quibus nunc utimur in Hebraica literatura, apicibus (i.e. punctis) uſos & Moſen, & Patriarchos omnes. Nec iis diluendis, quæ ex *Politiano de Pici* opinione profert vir ille doctus, eſt quod

ego

ego immorer, cum ipſa *Mirandulani* verba, illum in contraria fuiſſe ſententia, fidem faciunt. *Reuchlinus*, tantum abeſt, ut puncta à *Maſorethis Tiberienſibus* excogitata fuiſſe credat, ut illorum inventionem *Eſræ* diſertè adſcribit; quod ejus teſtantur verba, quæ ita ſe habent. Nondum enim erat Scripturæ diſtinctio per puncta & accentus, quæ ab annis *Eſræ* primum cœpit. *Cab. lib.* 3. *Reuchlinum* igitur à noſtra magis quàm ab Eliana parte ſtantem habemus. *Pellicanus* non ſuam, ſed aliorum ſententiam in præfatione in Pentateuchum profert. Hoc enim tantum dicit. Olim notis vocalium & diphthongorum Hebræos caruiſſe magni viri exiſtimant. *Chameirum* denique licèt à noſtra parte ſtantem, vi quadam illata in caſtra Eliana pertraxit Doct. *Waltonus*. Vir ille bellicoſus ferram controverſiæ de punctis cum *Stapletono* reciprocaturus, præſentem animum his verbis aperit. Puncta eſſe addita à Judæis poſt *Hieronymum* non eſt veriſimile. Et paucis interjectis adducit *Junii* ſententiam, qua punctorum antiquitatem contra *Bellarmini* cavillatiunculas aſſeruit, dicitque eam poſſe. Ex *Hieronymi epiſtola* 126. firmari. *Pauſtrat. lib.* 12. *cap.* 4. § 13.

Quæ in rem ſuam vir doctus detorſit, non ἀγυμναπῶς, ſed συγχωρητικῶς dici, vel lippientibus conſtet, q. d. etiamſi Biblia non fuerint ab initio punctata, non tamen prorſus actum eſſe de ſenſu. Sed miſſâ hâc *Chameiri* & cæterorum vindicatione, illis, qui puncta literis eſſe coæva cenſent, annumerare fas eſt, *Mich. Waltherum in diſput. valedict. Jenæ* habita; *Haſſeuref. in templo Ezek.*

pag.

pag. 170. *Josephum de Voysin. Galat. lib.* 1. *adversus Judæos. cap.* 8. *Hieronymum Oleast. Franciscum Junium*; & *Pappum* secundum *Prideauxium*, punctorum acerrimum hostem, licet id neget Doct. *Waltonus*. *Munsterum* in hac sententia fuisse, quæ ex illo supra adduximus, suadent; quibus superaddere ex præfatione in Biblia hic licet. Non sunt igitur (inquit) puncta vocalia novum quoddam Judæorum commentum, ut *Steuchus*, & quidam alii similes existimant. *Salomon Glassius* suffragatur. *Philolog. sacr. lib.* 1. *pag.* 43. & 192. Sic & *Hugo Broughtonus*, qui magna cum παῤῥησίᾳ proprium judicium ita profert. In hoc (sermone Hebræo) scriptus quisque liber V. T. stylo non imitabili; characteres & puncta sunt, & fuerunt in tabulis θεογράφοις. Concent. sac. Scriptur. pag. 126. Hisce annumerentur licet, magnus ille Orientalium divitiarum *Buxtorfius* pater; & filius; D.D. *Lightfootius*; & D. D. *Owenus*: qui omnes, si non nostram, nostræ certè finitimam amplexi sunt sententiam; quod opera eorum, maximo cum Reipublicæ literariæ beneficio, jam publici juris facta, testatum faciunt. Sed quod rem nostram propius attingit, præter viros undique clarissimos, quos supra adduximus, puncta vocalia & accentualia literis esse coæva affirmant, *Fabricius in partit. Cod. Heb. cap.* 2. *Johannes Balthasar Baumbachius*, *de ling. Orient. authoritate*, *Crinesius de Confusione ling. Petrus Morentinus Navarrus*, *in Gram. Heb. Chem. in Harmon. cap.* 51. *pag.* 339. *Bailius*, & *Clar. Usserius*, ut ex Catechismo, sub ejus nomine Typis mandato, quem

ex

ex calculo suo adjecto, suum fecit, satis constat. Cur hæc omnia de genuina punctorum antiquitate adducerem testimonia, causas habui satis graves. Adeo certè servile quorundam ingenium est, ut nihil veri certâ fide unquam complecterentur, nisi Doctorum, ad quorum authoritatem obstupescunt, nominibus inlignitum, calculisque comprobatum prodiret. Hic ansa quoque gloriandi illis præscindenda erat, qui plures in causa *Eliana* adstipulatores eosque doctiores ostentant, quam quidem adhuc habent, aut unquam, si quid ego auguror, sunt habituri. Sententia igitur in hac, quam instituo diatriba, propugnanda est, puncta & textui Hebræo vet. Test. essentialia, & literis ipsis coæva esse; quæ quidem, firmis rationum momentis demonstrabitur sententia, præmissis quas suprà promisi, hypothesibus.

CAMBRIDGE

C CAPUT.

CAPUT III.

In quo quæstionis controversæ illustrandæ, & intra proprios cancellos coercendæ ergô, aliquot præmittuntur hypotheses.

Propositiones præliminares quod attinet, hasce præmitti oportet, quæ jam ex ordine sequuntur quadantenus stabiliendæ.

1. LInguarum omnium primam & Archetypam fuisse Hebræam, quâ usus est Deus sacra veteris Testamenti Oracula consignaturus.

Haud me latet, *Maronitas*, post *Theodoretum*, quo nescio modo, falsum, in contraria esse sententia, Hebræâ *Aramæam* Linguam esse priorem, asserentes. Sed Linguam Hebræam non ex Aramæa, sed contrà ex Hebræa Aramæam fluxisse norunt omnes, qui Linguas Orientales vel à limine salutârunt, nec in verba Magistri jurârunt. Qui adhuc pendent animi, consulant *Josephi Flavii librum* 1. *contra Apionem*; *Euseb. Cæsarienſ. de præparatione Evang*; *Josephi Scalegeri epistolam ad Thomsonum*; *Clar. Buxtorfii filii de Linguæ Hebræa antiquitate & origine dissertationem*; & *DD. Oweni cap.* 2. *libr.* 3. Θεολογουμένων: ubi segetem argumentorum satis amplam, & quàm plurima doctorum suffragia, nostram de Linguæ sanctæ antiquitate sententiam, extra omnem dubitationis aleam ponentia, invenire licet. Verum enim verò, ne in hoc opusculo desit, quod Lectoribus in aliqualem cedat satisfactionem, huic sententiæ adstruendæ parumper immorari lubet. Apud ingenuos plerosque

roſque omnes in confeſſo eſt Hebræam Linguam ab *Heboro* Schelachi filio *Arphaxſchadi* nepote ex eo tempore nomen derivaſſe, quo divinitus ob nefandam hominum ſuperbiam dividia Linguarum profuſa eſt; quo quidem tempore *Heber* in familia ſua deicola Linguam, mediatè à Deo, immediatè à parentibus traductam, ſartam tectamque ſervavit; quippe facinore πρωτοπλασίας nequaquam adſtrictus. Hinc liquidò conſtat, cæteras, quotquot fuerint, linguas, poſtnatas, ſolam Hebræam primigeniam, ipſiſque Πρωτοπλάστοις coævam: illas adulterinos Στομαχίας fœtus, hanc verò naturæ partum eſſe genuinum. Hæc veneranda eſt antiquitas, hæc hujuſce Linguæ ſanctiſſima incunabula. *Adamo* ponitur in laude, quod Protoplaſtos, *Stephano*, quod Protomartyr, & Linguæ Hebrææ, quod πρωτόγλωσσον fuerit. Huic verò Linguæ primas deferunt plurimæ, quæ in ſacris monumentis propria hominum locorumque occurrunt, nomina, quorum Etymologias, quas ipſe veritatis ſpiritus ſignavit, ex omnibus aliis Linguis fruſtra quæris. *Adam* eſt homo è terra; quia finxit eum Deus pulvereum è terra. *Chavva* viventem ſonat; eò quod ipſa ſit mater omnium viventium. *Kain* acquiſitum; nam illo in lucem edito, acquiſivi, dixit Chavva, virum à Jehova. *Sheth* repoſitum; nam repoſuit mihi Deus, inquit illa, ſemen aliud pro *Abele*, *Noath* quiete refocillantem; hic enim, aiebat pater ejus, recreabit nos à labore manuum. Quod ſi locorum nomina expenderem, qualia ſunt, *Eden*, *Babel*, *Sinhar*, *Beth-lechem*, & alia pœne innumera, quæ omnia ſunt origine Ἑβραϊκώτατα, & Lectoris pa-

 tientiæ

tientiæ lassitudinem, & mihimet tædium crearem. Verum hisce valere jussis, argumentum omni exceptione majus, ex Alphabeto Hebraico elicere fas est: quippe huic omnium ferè linguarum Alphabeta se & quoad nomina, & quoad ordinem, conformia magna ex parte præstant. Unum certè Hebræorum *Aleph* coactâ fuit μεταφορᾷ, permutatum apud Gentes peperit nomina. Hinc enim originem duxit Chaldæorum Coptorum & Græcorum *Alpha*; παραγωγικῶς; utcunque se Λλφιτας fuisse Græci clamitent. Hinc Syrorum *Olaph* per ἀντίφρασιν. Hinc Arabum, Persarumque *Eliph* per similitudinem itidem ἀντίφρασιν. Hinc denique Æthiopum *Alph*, *Segol* Hebræorum syncopato. Ab hac in *Alaph* μεταμορφώσει haud prorsus abludunt *Beth*, *Gimelh*, *Daleth*, & cætera; quæ in alias adscita familias, novas inducrunt formas, sed planè istiusmodi, ex quibus meritò induci poterimus, ut credamus, Linguam Hebræam jus primogenituræ omnibus aliis præripere. Præter, quos suprà memoravimus, Linguam Hebræam fuisse primigeniam, pro certo & indubitato habent, *Hieron. Com. in Zephan cap.* 3. *ver.* 18. *Orig. in Num. hom.* 11. *Aug. de civit. Dei lib.* 16. *cap.* 11. *Ambros. in Phil. cap.* 3. *Nicol. Lyr. in Isa. cap.* 19. *ver.* 18. *Mercer. Gen.* 11. 9. *Pagn. Instit. Heb. cap.* 1. *Bertram. præfat. Gram. Jun. ad Gen. cap.* 11. *ver.* 1. cum multis aliis, quorum nomina tota nostra pagella vix capiat.

2. Biblia sacra iisdem, quibus nunc utimur, literis, olim Ὁμοιοτύπως fuisse exarata. Qui fabulam de punctis post *Talmud* confectum excogitatis, depereunt, sat scio, illos neutiquam tam liberales

les mihi se præstituros esse, ut gratis hoc concedant postulatum. In propatulo causa est, concesso enim literas Hebræas Antiquum ad hunc usque diem obtinere, nullamque subiisse mutationem de charactere Samaritano in Chaldæum durioris captivitatis fato factam, (quam ipsi vehementissime vellent) de uno ex argumentis eorum *Achillæis*, quibus fictitiam punctorum novitatem adstruere consueverunt, conclamatum est. Quod igitur apud hosce rerum gestarum dictatores precè impetrare non licet, id unius & alterius argumenti importunitate illis extorquere tentabimus. Sed ne aliud aggrediamur expugnandum, quàm quod ipsi fecerunt suum, rem totam ex *Capellò* paucis habe. Is veteres Hebræorum literas, istas fuisse, quibus hodiernus exaratur Pentateuchus Samaritanus, hodiernas verò Hebræas Chaldæorum fuisse primævas, statuit. *Arcan. Punct. lib. 1. cap. 6.* §. 1, 2. Hinc, quod primum fuit in intentione, tandem infert. Jam verò si ne quidem literæ illæ, quibus à tot seculis descripta sunt à Judæis sacra Biblia, sunt à *Mose*, aut à Deo *Mosi* traditæ, certè multo minus apiculi & punctula quæ literis illis accesserunt & addita sunt, à *Mose*, vel Prophetis esse credenda sunt. *Ibid.* §. 6. Hanc sententiam fecit suam *D. D. Walt. Proleg. Bib. Polyglot.* 3. §. 39. Sic *Bellar. Morinus*, & omnes fere punctorum hostes jurati, præter unum *Prideauxium*, quem, major sacrarum literarum, quâ tenebatur, solicitudo, à tanto salvum præstitit delirio, *Fascicul. Contr. Theolog. Quæst.* 3. *pag.* 20 Hic verò, ὡς ἐν παρόδῳ annotare fas est; neminem nos punctis Hebraicis spoliare posse, qui non prius

Biblia ſacra literis Θεοπνεύστοις ſpoliaverit, atque literis Chaldæorum quantumvis profanis, damnaverit exaranda. Sed ſententiæ adſtruendæ fundamentum minùs firmum poſuerunt Adverſarii; illo proin convulſo, ut ſuperſtructio, quæ tota ab eo pendet, corruat neceſſe eſt. Illud verò eſt ne neſciat lector Philalethes, horrendum quoddam ac inauditum memoriæ naufragium, quo, fingunt *Capellianiſtæ*, Judæos pleroſque omnes, infra unius ætatis ſpaciolum, Linguam ſuam vernaculam (quam ſummis in deliciis ſemper habuerunt) & characterem ſacrum, (quo *Moſes* & Prophetæ exarari ſolebant) immedicabili tradidiſſe oblivioni; unde factum eſt, ut ſolutâ captivitate, *Eſra* legem & integra Biblia characteribus Chaldaicis, qui in captivitate Judæis evaſerant unâ cum ipſa lingua familiares deſcribenda & antiquas Hebræorum literas, quæ ſunt hodiernæ *Samaritanæ*, Samaritis relinquendas, curaverit. Viros graves ac doctos in hac olim fuiſſe ſententia, et etiamnum eſſe, ex unius *Hieronymi* hallucinantis authoritate ſeductos, compertum habeo. In eandem verò ſententiam quominus pedibus eam, & virorum æquè doctorum, ac gravium, authoritates; & rationum pondera longè graviora prohibent reclamantque. Figuram literarum Biblicarum hodiernam, eandem eſſe quâ olim Deus duabus tabulis legem inſcripſit, non verò Chaldæam, ab *Eſra* demum poſt captivitatem Babylonicam, introductam, docent *Aben Eſra* qui vixit circa annum Chriſti 1140. in libro *Tſachuth*, *Rabbi Solomon*, qui ſub idem tempus vixit, *in Comment. ad Eſther.* 9. 27. *Rabbi Moſes ben Maimon*, qui etiam circa idem tempus

tempus vixit, *in Com. super librum Miſchnajoth* tractatu *Jadhajim*, *cap. ult.* §. 5. *Rabbi Durant.* vulgò *Ephodæus*, qui vixit ſub annum Chriſti 1390, *in Maaſe Ephod*, *Rabbi Jacob. ben Schelomoh ben Chaviſ in lib. Gnen Iſrael*; *Abraham de Balmis cap.* 1. *Gram*; *Rabbi Aſarias in Meor Gnenajim*, *cap.* 58; Doctores *Miſchnici*, ſeu textus *Talmudici* authores; Doctores *Gemarici*, ſeu Complementi *Talmudici* Authores omnes. Præter hoſce idem docent ex Chriſtianis *Picus Mirandul. in epiſtola ad Ignotum*; *Theodor. Bibliander. Com. de optimo gen. Gram. pag.* 76; *Gulielmus Poſtel. lib. de orig. cap.* 5. *Mar. Marinus Brixian. in arca Noæ*, *ab initio literæ* ℵ; *Franciſcus Junius ad lib.* 2. *Bellar. de verbo Dei cap.* 1. *Nicol. Fullerus in Miſcel. ſacris. lib.* 4. *cap* 4. *Wilhel. Schickhard. in Bechinah Happeruſchim*, *pag.* 82. *Hugo Broughton. in Concentu Scriptur. pag.* 126. *Cæſar Baron. Annalium tom.* 2. *pag.* 293. Horum omnium verba tranſcribenda minùs curavi: qui illorum videndi eſt cupidus, conſulat. clar. *Buxt.* filii diſſertationem *de literis Hebræorum*, ubi hæc, & quæ, mutationem literarum, quam fingunt Adverſarii, Eſraiticam, nullam planè fuiſſe evincunt, ſub una quaſi ſynopſi ſe offerunt perpendenda. Eandem ſpartam exornandam poſt *Buxtorfium* ſuſcepit, *Thomas Bangius* D. & Prof. Regius *Haunienſis*, in libro quodam, cui titulum fecit, *Cœlum Orientis excert. literaria.* 3. *pag.* 209. ubi ſententiam Capellianam ad æternas & immedicabiles redegit ruinas. Sed ut totum hoc compendefiat negotium, Teſtimonia miſſa facio; & argumentum unum, vel alterum ſuggerendum eſſe puto, quo animus veritatis avidus fulciatur, ne temerè

in *Capellianam* prolabatur sententiam.

1. Primum sacrarum literarum authoritati innititur argumentum. Tantum abest, ut sacra pagina memoret, hodiernas Hebræorum literas, olim fuisse Chaldæorum, & ab *Esra* primum introductas in remedium prodigiosæ cujusdam oblivionis, quâ fingitur totum populum Judaicum è Babylonia reducem, & Linguæ vernaculæ, & literarum primigenarum jacturam fecisse immedicabilem, ut planè doceat contrarium. Ex *Nehemia* enim Judæos quosdam *Aschdodæizantes* severiùs corripiente, inferre licet cæteros Linguæ Hebraicæ puritatem adhuc sartam tectamque servasse. Hoc sacrum textum (*cap.* 13. *ver.* 23, 24.) inspicienti clarius apparet, quàm ut probatione indigeat operosâ. Etiam in diebus illis (inquit *Nehemiah*) vidi Judæos consociasse sibi fœminas *Aschdodæas*, *Ammonæas*, & *Moabitissas*, & filios eorum (חצי מדבר אשדודית) ex parte dimidiata loqui *Aschdodæe*, neque scientes *Iehudaice* loqui; ideo contendi cum eis, illis maledicens, & plagis aliquos afficiens. Quid in causâ fuerit, quod vir ille sanctus tantas conciperet iras, tot execrationes fulminaret, & verberibus tam severis in hosce *Aschdodæizantes* animadverteret? Si totus populus è Babylonia redux barbariem à linguæ Hebrææ puritate alienam, & eandem loquendi sartaginem contraxerat, unde fuerit, quod hæc populi pars longè minima (contra id, quod æquum postulat) sola pœnas lueret? Commune naufragium omnibus solatium. Si igitur omnes pariter Judæi Babylonicæ captivitatis fato constricti, eandem linguæ sanctæ jacturam fecerint, quid in

eandem

eandem veniam omnes sunt meriti? Nimirum non potuit vir summè prudens, nisi (quod absit!) partium adductus studio, ob id barbariei in *Aschdodaizantes* tanta cum vehementia sævire, quod cæteris eadem ἀνθρωπίνως laborantibus, ne vitio vertit quidem. Certè ex hoc *Nehemiæ* Linguam sanctam vindicantis exemplo, nullâ hujusce linguæ corruptione, adhuc contigisse generalē, nullâ ejus ἀμαθίᾳ populū tunc temporis laborasse Judaicū, inferre fas est.

2. Secundum nobis suggerit argumentum Dei θεοῦ optimi δυνάμει maximi providentia, ut post Judæorum è captivitate Babylonica reditum, voluntas ejus illis linguâ Hebraicâ per prophetas patefieret, & consignaretur, curantis. Certo certius est, *Haggæum*, *Zachariam*, & *Malachiam*, post tempus Captivitatis confectum θεοπνεύστως prophetasse, & prophetias dialecto Hebraicâ conscripsisse suas. Hujusce verò ὀτοπομίας nulla ratio satis valida reddi potest, præter illam unam, quod scilicet, ad hunc usque diem, Lingua Hebraica Judæis vernacula extiterit, & vulgaris. Frustra igitur obtendunt Adversarii, Judæos è Babylonia reduces propriæ linguæ oblitos fuisse, atque hanc ob rationem, mutationem literarum, (quam fingunt, ab *Esra* factam) fuisse necessariam. Quis enim animum inducere potest, ut credat, Judæos, (quos tum in, tum post captivitatem confectam, Deus Linguâ Hebraicâ per prophetas est alloquutus) tam brevi temporis spacio, quo anni tantùm fluxerunt septuaginta, vernaculi sermonis oblitos esse, textûs sacri, cui legendo ac intelligendo quisque piorum, pro officii sui ratione, quotidie operam dedit, ignaros evasisse, &

maternâ

maternâ linguâ ejuratâ in alienam tam ſubitò ſe tradere, potuiſſe? Figmentum hoc, nemo hominum facile credet, præter illum, qui tam prodigioſâ pollet credulitate ut omnia opinionum monſtra, omniaque *Talmudica* ſit credendo. Cum igitur tam liquidò conſtet, nullâ vel Sermonis vernaculi, vel characteris primigenij oblivione Judæos è Babylonia reduces laboraſſe, ex qua mutationis literarum *Eſraitica* neceſſitas ſit oriunda, nullam iſtiuſmodi mutationem unquam fuiſſe factam, ſed hodiernas Hebræorum literas eaſdem omnino eſſe, quibus lex primò per *Moſen* à Deo fuit tradita, & ſacratiſſimis Dei digitis exarata inferre, & pro hypotheſi ponere fas eſt.

3. *Eſram* & viros Synagogæ magnæ ſacris literis accurandis deſcribendis ac vindicandis poſt reditum populi Iſraelitici è captivitate Babylonica, ſummâ religione, ſummâque fidelitate incubuiſſe. Qui fuerint viri Synagogæ Magnæ, quidve præſtiterint, rerum Hebraicarum callentiſſimi, conjunctis ſententiis nondum ſtatuerunt. Ego verò in eandem cum clariſſimo *Buxtorfio* ſententiam, licèt non jurare, tamen loqui auſim; quippe quæ argumentis longè validiſſimis conſtipari videtur. Sententia *Buxtorfiana* (ne quempiam lateat) hæc eſt. Quod ſcilicet, definito captivitatis Babylonicæ tempore elapſo, *Eſra* maximis à Deo donis inſtructus, & regiâ authoritate ſuffultus Hieroſolymam acceſſerit, unà cum Symmiſtis *Haggæo*, *Zacharia*, *Malachia*, *Jeſchua* ſacerdote ſummo, *Nehemia*, & aliis è populo reduci quàm plurimis, quos ſibi, Religionis in Babylonia inſigniter labefactatæ reformandæ ergò, adjunxit,

&

& conſociavit; unde poſtea cœtus hic Reformatorum κατ' ἐξοχὴν dictus eſt (כנסת הגדולה) Synagoga magna; & *Eſra* cum Symmyſtis, viri Synagogæ Magnæ. Quomodo ſe res habuerit per omnia, expendere minùs vacat. In confeſſo eſt, *Eſram*, & ejus Symmyſtas Reformationis zelo flagrantes legi accurandæ operam navâſſe ut ablatis, quæ in exemplaria particularia per diuturnæ captivitatis injurias, invehi potuerunt, mendis, tota ſacri codicis ſcriptura, integra & incorrupta æternùm conſervaretur. Haud refragantur *Talmudici*, apud quos Synagogæ Magnæ mentio frequens occurrit, & honorifica. *Pirke Avoth. cap.* 1. legitur. משה קבל תורה מסיני ומסרה ליהושע ויהושע לזקנים וזקנים לנביאים ונביאים מסרוה לאנשי כנסת הגדולה: *Hoc eſt. Moſes* accepit legem è Sina, eamque *Jehoſchua* tradidit; *Jehoſchua* verò ſenioribus, & prophetis ſeniores. Prophetæ autem hominibus Synagogæ magnæ, eam tradiderunt. In libro quoque *Joma. fol.* 69. למא נקרא שמן אנשי כנסת הגדולה שהחזירו עטרה ליושנה: *Hoc eſt.* Quare vocatur nomen ipſorum viri Synagogæ magnæ? eò quod reſtituerunt coronam (legis ſcilicet) in priſtinum nitorem ſuum. Cæteris, quæ theſi noſtræ fidem faciunt, ſuperſedeo teſtimoniis; qui plura volet, conſulat. *R. Iſaac Sangarum in lib. Coſri. part.* 3. *pag.* 26. *R. Gedal. in Schalſcheleth. Kabal. pag.* 21. *R. Aſar. in Meor En. cap.* 59. *Eliam præfat. Rythm.* 1. *R. Chajim. præfat. in Bibl. R. Moſ. ben Machman. præfat. in leg. Tertul. de hab. Mulieb. cap.* 3. *Iren. lib.* 3. *adverſus hæreſ. cap.* 25. *Hieron. adverſus Helvid. Aug. de Mirab. ſac. ſcript. lib.* 5. *cap.* 8. *Hotting. Theſaur. Philolog. lib.* 1. *cap.* 3. §. 4.

Buxt.

Buxt. filium de Orig. punct. pag. 410. *& Buxt. patrem Maſor. pag.* 130. qui ibi ait, *Maſoram* à viris Synagogæ magnæ profectum eſſe, & puncta quidem vocalia vel initium, vel renovationem ſumpſiſſe, juxta quod communis Hebræorum ſchola docet. Quid igitur de reformatione Eſraitica, quantum attingit ſacras literas, ſentiam, paucis dicam. Cùm lex Dei ἔγγραφος ſit omnis religionis, omniſque circa religionem reformationis adæquata & unica norma, rationi maximè conſentaneum eſt, *Eſram* & Symmyſtas ejus è Babylonia reduces, Codicibus legis, juxta exemplaria ἀφαλῆ, apud ſe ſummâ fide aſſervata, reſtaurandis, & ex addita *Maſoræ* ſepe præmuniendis, invigilaſſe. Hujus verò *Maſoræ* ab *Eſra* & viris Synagogæ magnæ, fœliciùs concinnatæ, brevis aliqua ζυναγραφία, & ratio reddenda eſt; quæ ex Hebræorum mente huc redit. *Maſora* eſt doctrina critica circa rectam lectionem & ſcriptionem textus ſacri quoad literas, vocales, accentus & integras voces, ut ſic conſtans & genuina ejus lectio conſervetur, & ab omni mutatione aut corruptione æternùm præſervetur, & validè præmuniatur. Ex hiſce omnibus, & quæ ſunt hujuſmodi, tanquam ex materia, *Maſoram* eſſe conflatam, nemo, opinor, inficias ibit, niſi ſiquis fortè reperiatur, qui atram eſſe nivem dixiſſe, minùs dubitet. Nimirum de *Maſoræ* tum materia tum fine ſatis conſtat: ſed de cauſa *Maſoræ* efficiente in diverſas itur ſententias. Quidam *Maſorethis* poſt Talmudicis *Maſoræ* inventionem adſcribunt: ſed contrà *Buxtorfius*, & quos ſuprà memoravi, *Eſræ* & Synagogæ magnæ viris acceptam ferunt. Argumenta

menta quæ in ſententiæ ſuæ ſubſidium adduxit Clar. *Buxtorfius*, quibuſque opus hoc Maſorethicum non à Rabbinis poſt-Talmudicis, ſed ab *Eſra* & ejus Symmyſtis profectum eſſe, demonſtrare conatus eſt, hic in medium proferenda putavi.

1. Quia hujus operis Maſorethici in utroque *Talmud* mentio fit; quod planè fuiſſet impoſſibile, niſi in rerum natura jam illud extitiſſe concedatur. Teſtimoniorum næ ille plus ſatis habet; nos unum & alterum tantùm adducemus.

(1.) Primum occurrit in *Talmud.* Hieroſolymitano, ubi & nominis & materiæ in *Maſora* tractatæ mentio fit. Et legerunt in libro illo in lege Dei ſcilicet in textu Hebræo, explanatè; וְהַתַּרְגּוּם cum Targum; & appoſuerunt intellectum; אֵלּוּ טַעֲמִים illi ſunt accentus; & intelexerunt lectionem, וְהַמָּסוֹרֶת; iſta fuit *Maſora.*

(2.) Secundum occurrit in *Talmud* Babylonico, in *Nedharim, fol.* 37.

אָמַר רַבִּי יִצְחָק מִקְרָא סוֹפְרִים וְעִטּוּר סוֹפְרִים קְרִיין וְלֹא כְתִיבָן וּכְתִיבָן וְלֹא קְרִיין הֲלָכָה לְמֹשֶׁה מִסִּינַי:

Hoc eſt. Dixit *R. Iſaac*; lectio ſcribarum; ablatio ſcribarum; lecta, & non ſcripta; ſcripta, & non lecta; traditio ſunt *Moſis* de monte Sina. Hinc liquidò conſtat, quod & nomen *Maſoræ*, & res in ea contentæ cujuſmodi ſunt vocum juxta diverſam ſcriptionem, & lectionem annotatio, earundemque plenè & defectivè ſcriptarum accurata obſervatio, in ipſo *Talmud* occurrunt; quod argumentum ſanè in eluctabile eſt; hæc omnia non à Rabbinis poſt-Talmudicis fuiſſe

fuisse excogitata, sed ante *Talmud* confectum extitisse, atque ideo ab *Esra* & viris Synogogæ magnæ profecta.

2. Secundum argumentum, quo opinionem suam de Antiquitate *Masora* Esraitica probatam voluit Clar. *Buxtorfius*, quorundam celebrium virorum sententias cumulat, urgetque. Inter alios *R. Asariam in Meor Enajim* testem adhibet, qui *fol.* 179, suam super hac re sententiam ita aperit. וְזֶה לְמַרְ שֶׁיֵּאָמַן כִּי הַמָּסוֹרָה מְקוּבֶּלֶת מֵאַנְשֵׁי כְנֶסֶת הַגְּדוֹלָה כְּאָמְרוּ אֵלּוּ הַמָּסוֹרָת: וְאִם כֵּן כְּמוֹ שֶׁהַמָּסוֹרָת הַזֹּאת אֵין כַּוָּנָתָן שֶׁיֵּאָמְרוּהוּ עַל־פֶּה אֲבָל בִּכְתָב בֵּן הַטְּעָמִים וְהַהַכְרָעוֹת וְיֶתֶר הַדְּבָרִים שֶׁזָּכְרוּ וְזֶהוּ הוּא בִּכְתָב נֵאָמְרוּ: *Hoc est.* Et id ut confirmetur, *Masoram* traditam esse à viris Synagogæ magnæ, juxta id quod dicitur, ista sunt *Masora*. Quod cum ita sit, ut intentio ipsorum non fuit, quasi *Masoram* istam ore duntaxat protulerint, sed in scripto: sic quoque accentus, vocales reliquaque, quorum ibi meminerunt, certum est non nisi in scripto prolata esse. R. quoque *Gedaliam* in *Schalscheleth Hakkabbala fol.* 21. adducit *Buxtorfius* ita de eadem re loquentem.

וְהִנֵּה אַנְשֵׁי כְנֶסֶת הַגְּדוֹלָה הַזֹּאת חִדְּשׁוּ לְטֹבַת וְהַנָּאַת כָּל הַגּוֹלָה הָרַבָּה תִּקּוּנִים כְּמוֹ חִלּוּק הַפְּסוּקִים וּקְרִי וּכְתִיב מָלֵא וְחָסֵר וּפָרָשִׁיוֹת סְתוּמוֹת וּפְתוּחוֹת וְאוֹתִיּוֹת גְּדוֹלוֹת וּקְטַנּוֹת וְטַעֲמִים וּנְקוּדוֹת: *Hoc est.* Ecce viri Synagogæ magnæ novas ediderunt

derunt in bonum & commodum totius Captivitatis conſtitutiones multas, veluti diſtinctionem verſuum, diverſitatem lectionis & ſcriptionis, plena & defectiva, ſectiones clauſas & apertas, literas majuſculas & minuſculas, accentus quoque, & puncta vocalia. Hæc & hujuſmodi quàm plurima, quibus à nemine adhuc ſatisfactoriè reſponſum eſt, in theſis ſuæ de veneranda *Maſoræ* antiquitate habitæ, confirmationem, quadraginta retrò abhinc annis, protulit *Buxtorfius*; quæ omnia in noſtræ hypotheſis ſubſidium cedunt maximum. Nihil igitur eſt, quod quiſquam mihi ogganniat, me τὸ ἐν ἀρχῇ λαμβάνειν; *Eſram* & viros Synagogæ magnæ, è Babylonia reduces ſacris ſacri Codicis paginis vindicandis & præmuniendis ſumma cum εὐλαβείᾳ, ſummâque animi ſolicitudine invigilaſſe, affirmanti.

4. Puncta tam accentualia, quàm vocalia in his quas inſtituo, punctorum vindiciis, ejuſdem ferè ponderis eſſe, atque ideo utraque, ſalvo ſingulis, quod jure idiopathico ſuum eſt, intelligi debere. Quæ paſſim de punctis accentualibus apud priſcos doctoſque Hebræos occurrunt quam plurima, ſat ſcio, *Capellum* & Cooperarium ejus Antiſtigmaticum *Morinum* præjudicii glaucomate cæcutientes, iſta omnia anilibus fabellis, & Judæorum næniis audaciùs pro more ſuo annumerare. Sed tamen *Morinus* pro ea, quâ Pentateuchi Samaritani, cui accentus interſeruntur quam plurimi, tenetur religione, horum inventionem punctorum vocàlium priorem eſſe tantum non aſſerere auſus eſt. *Gram. Sam. part. 2. cap. 2.* Mihi verò Gemellos eſſe Synchronos, ex eodem διανοίας utero caſtiſſimo,

caſtiſſimo, profectos, videtur. Scilicet punctos tam accentuales, quàm vocales ejuſdem ætatis eſſe arbitror, hac ratione permotus, quia ejuſdem ferè neceſſitatis, ſacro codici coexiſtunt. Quemadmodum enim ratio poſtulat ut textus Biblicus punctis vocalibus elucidetur, ſine quibus verba nulla conſtare poſſunt: ſic par ratio quoq; exigit, ut idem textus Biblicus punctis accentualibus interſtinguatur, ſine quibus orationis ſeries valde eſſet perturbata, ſenſuſque planè ænigmaticus. Quantum verò accentus conferunt ad rectam vocum ſignificationem, atque ad genuinum Orationis ſenſum eruendum, conſtat omnibus, qui limpidos Hebraici fontis latices hauſtu liberaliori imbiberunt.

1. Ad propriam vocum ſignificationem indigitandam conducunt accentus, dum manifeſtum diſcriminis indicium inter tertiam perſonam pluralem præteriti *Kal* Quieſcentium *Lamedh He*, & tertiam pluralem Quieſcentium *Ajin Vav* interponunt, iſtam *Milra*, hanc *Milhel* conſtituentes: dum inter tertiam perſonam Fœmininam Præteriti *Kal* Quieſcentium *Ajin Vav*, & Participium Fœmininum ſingulare *Benoni* ejuſdem ordinis, interſtinguunt, illam *Milhel* conſtituentes, ut חָלָה tremuit, hoc verò *Milra*, ut חֹלָה tremens, ab eadem radice oriundum: dum denique inter tertiam perſonam Præteriti *Kal* perfectorum, & nomina formæ חָכְמָה diſcriminant; in quibus, *Metheg* inter *Chamets* & *Scheva* interjecto, eſt *Chamets* longum, legendumque *Chachema*, ſapuit; non interjecto *Metheg*, eſt *Chamets* breve, legendumque *Chochma*, Sapientia. Cætera quæ occurrunt

runt quàm plurima taceo; hujuſmodi enim licet ſexcenta proferre. Hinc dictitant parabolarum Magiſtri. הַקּוֹרֵא בְּלֹא מֶתֶג כְּרוֹכֵב בְּלֹא רָסֶן *Hoc eſt.* Qui legit ſine *Metheg*, eſt ſicut equitans ſine fræno. Ab hoc, quod adduximus, diverbio non multum abludit *R. Johan. Levi* dictum; *in lib. Schem Mahaloketh* occurrens, quod quidem dictum ita ſe habet. כַּאֲכִילָה בְּלִי בָשָׂם וּמֶלַח קְרִיאָה בְּלֹא מֶתֶג נָאֶלַח *Hoc eſt.* Quemadmodum cibus ſine condimento & ſale, ſic lectio ſine accentu ſordet. Ratio eſt. Quia nemo genuinam vocabulorum ſignificationem aſſequitur, qui nullam accentuum rationem habet.

(2.) Ad verum ſpiritûs ſancti in ſcriptura loquentis ſenſum eliciendum, multùm faciunt accentus. Hoc ex æquo quidem non omnes accentus præſtant, officii; primas etenim tenent ſex illi, *Siluk*, *Athnach*, *Revia*, *Zakeph Katon*, *Zakeph Gadhol*, *Segolta*, qui ubique *Melachim*, reges audiunt. Cæteri ſui muneris partes quoque adimplent, & quò minùs vim orationis in membra diſtinguendæ habent, eò magis vim ſingularum vocum moderandi, per vocis elevationem, depreſſionem, tarditatem, celeritatem, ſuavitatem vel ſeveritatem, ad internos animi affectus exprimendos; quo fit, ut ſenſus eorum, quæ ſic legunrur longè rectiùs percipiatur, quando nimirum vel in libro legens, vivam quaſi Authoris vocem, imò & varia ejus πάθη pro ſubjectæ materiæ varietate ſeſe ſucceſſivè exprimentia, hiſce notis inſtructus oculis intuetur. Quod cùm ita ſit, non minùs neceſſariam eſſe accentuum, eorum præſertim qui

orationem in membra distinguunt, adscriptionem, quàm punctorum vocalium, inferre pronum est. Multa enim loca (teste *Johanne Isaaco* professore *Colonienſi*, *Gram. lib.* 2. *pag.* 148.) reperiuntur, quorum interpretatio planè ambigua & obscura esset, nisi accentuum auxilio juvaremur. Quod etiam *R. Salomon* multis in locis fatetur; negat enim se potuisse textum intelligere, nisi accentibus fuisset adjutus. Ex multis placet unum in medium adducere. *Ezech. cap.* 1. ubi habetur וּפְנֵיהֶם וְכַנְפֵיהֶם dicit se nequaquam potuisse פְּרֹדוֹת מִלְמַעְלָה hujusce loci sensum assequi nisi *Zakeph Gadhol* fuisset super וּפְנֵיהֶם positum; ex eo se animadvertisse, sensum esse, & facies illorum scilicet erat illis, & alæ illorum erant divisæ, sive separatæ superiùs: non verò & facies eorum, & alæ eorum erant divisæ. Cùm accentus distinguens sit super וּפְנֵיהֶם, oportere ibi sententiam hærere, neque cum sequentibus connecti, liquet. Ex hoc uno exemplo facilè colligi potest, quàm necessaria est accentuum notitia, ad genuinum scripturæ sensum expiscandum. Hinc *Aben Esra lib. Mozenaiim. pag.* 199. hanc adhibet cautionem. כָּל פֵּרוּשׁ שֶׁאֵינֶנּוּ עַל פִּי רוֹשׁ הַטְּעָמִים לֹא רְאֵהוּ לוֹ וְלֹא תִשְׁמַע אֵלָיו: *Hoc est.* Quæcunque expositio non est secundum rationem accentuum, ne acquiescito ei, neque audias eam. Accentuum utilitatem calculo suo quoque comprobat *Muscatus in Comment. lib. Cosri part.* 2. *pag.* 129. §. 80. הַטְּעָמִים לְחִיבוּת מְחֻבָּלִין לַקְּרִיאָה הֵן לְיוֹפִי הַקְּרִיאָה הֵן לְתוֹעֶלֶת הָעִנְיָנִים: *Hoc est.* Accentus sunt dictionibus

dictionibus, quod condimenta cibis, cùm ad elegantiam lectionis, tum ad intelligentiam ſenſuum. Quàm plurima ejuſdem genii & ingenii apud Rabbinos ſeniores occurrentia miſſa facio : ex hiſce enim ſatis innoteſcat, quid de punctorum accentualium multiplici & neceſſario uſu, Linguæ ſanctæ periti ſentiant. Me quod attinet, ſuo quiſque ſenſu abundet, mihi religio eſt, vel latum crinem ab iſto Scripturæ ſenſu divaricari, quem accentuum ratio amplecti evidentiùs jubet. Certè qui in primis παιδοκλίσεως rudimentis, lucem inter & tenebras diſtinxerit, à ſacratiſſimo ejus ſpiritu nequaquam profecta eſt lex indiſtincta & Tohudica, quæ inſtar Oraculorum Ethnicorum, pro varia accentuum affixione in omnia ſenſuum monſtra horrenda transformari ſit comparata. Maneat igitur ſartum tectum, quod ſuprà poſui, puncta nimirum tam accentualia, quàm vocalia, ſummo jure eſſe aſſerenda.

(5.) Utrum punctis omnia ſacri Codicis exemplaria olim fuerint donata, non eſſe controverſum. Pars etenim Negativa apud omnes obtinet ; neque res conjecturâ, ſed & oculis & manibus tenetur. Ut nunc temporis exemplaria veteris inſtrumenti non punctata paſſim locorum proſtant venalia, ita ſemper iſtiuſmodi extiterunt exemplaria nullis vocalium punctis, nullis accentuum apicibus locupletata. Hoc liberali manu Adverſariis, nullâ cauſæ noſtræ illatâ injuriâ, largimur ; quod tamen ipſi avidis arripiunt faucibus, quaſi in maximum ſententiæ, quam ſuſcepimus propugnandam, præjudicium eſſet neceſſariò ceſſurum. Quid ita tandem ? Quia inquiunt, ſi Judæi credidiſſent,

didiſſent, puncta à *Moſe* vel *Eſra* eſſe profecta, utique illa non omiſiſſent, ſed illa omnibus, quæ prodierunt, exemplaribus, ſemper adſcribenda curâſſent. At quis, niſi cui cerebellum vel Anticyris inſanabile, dixerit, Judæos ita comparatos eſſe, vel tantâ ſupremi Numinis religione teneri, ut nihil eorum quæ illis Θεοπνεύςως commiſſa ſunt, omitterent, vel oblivioni unquam traderent? dicam verbulo, quod in hac re ſentio. Licèt exemplaria ad minimum uſque apiculum, ab ipſis Legis Moſaicæ primordiis, & per omnes temporibus iſtis ſuccenturiatas ætates, punctata habuerit Eccleſia Judaica, veriſimile tamen eſt, maximam Judæorum partem, pro eo, quod temporis proceſſu cepit illos, divini cultûs faſtidio, noluiſſe tantam navare operam, quantâ ſacro codici punctando, & omnibus ſuis apiculis adornando opus erat. Hinc codicum punctis caſſorum numeroſa progenies; hinc ipſa punctatio Hebraica animi Lethæo ferè immenſa eſt, donec venit Eſra, & ad priſtinum nitorem ſacrum codicem reſtituit, qui jam unà cum bona *Maſoræ* parte, ſuam etiam punctationem poſtliminio recepit. Quod ut cauſæ noſtræ nihil incommodat, ſic Adverſariorum minùs prodeſt, quoad tandem demonſtraverint, nullos veteris inſtrumenti codices unquam extitiſſe punctatos, *Maſorethis*, quos fingunt, *Tiberienſibus* antiquiores. Ne verò & Novator & ſolus in hac ſententia eſſe, cuiquam videar, conſulat oro, Lector candidus, (quem penes ſunt) *Buxtorfium* filium *de punctorum Origine, part. 2. cap. 1. pag.* 305. & *Hottinger. in Theſaur. Philolog. lib. 1. cap. 3. pag.* 400. qui hujuſce ſententiæ patronos meminerunt,

runt, quorum verba huc transcribere compendii (cui studeo) ratio prohibet. Punctorum fateor omissorum, alios alias assignare causas, quarum examen non est hujus instituti. Quicquid verò in causa fuerit, quo minùs omnia sacri codicis exemplaria olim prodierint punctata; certo certius est, à librorum non punctatorum paucitate, ad punctorum existentiæ negationem nihilo plus valere consequentiam, quàm ad hodiernæ punctationis negationem à librorum non punctatorum multitudine, qui ubique Gentium hodie extant.

(6.) Minùs constare, quod *Aleph*, *Vav*, *Iodh* (quas lectionis matres appellant) ante tempus Esraiticum, ferè dixerim Talmudicum, vocalium officio fungerentur. Quoties quidem Adversarii à nobis lectionem sacri codicis non-punctati difficillimam esse objicientibus, in summas adiguntur angustias, hoc unicum habent κρησφύγετον, literas nimirum ה ו י vocalium in loco olim fuisse usurpatas iisque designandis divinandisque inserviisse; ex hisce intercalatis sacri textus lectionem aliter impossibilem, facilem evasisse, dictitant. Hoc verò compertum habeo, illos huc semel redactos, non arguere, sed augurari, non rationum momentis demonstrare, sed ex ea, quâ sunt δυσχέρεια, hariolari. Sed miserum est alienâ vivere quadrâ; imò miserrimum istiusmodi inter disputandum inniti hypothesi, cui, si semel negetur, nullæ prorsus vires suppetunt, adstruendæ. Hoc tamen fato punctorum hostes hærent impliciti; quippe qui sententiam susceperint tuendam, quam (nisi gratis concedatur) in æternum probare nequeunt.

Ex omnibus enim quæ nunc extant veteris Teſtamenti exemplaribus, cuivis ſacrum textum inſpicienti conſtet, vix milleſimam in illis vocem occurrere, cui Matres lectionis, ut ſic inſeruntur, vocaliumque officio funguntur. *Vav* & *Iodh* ſacro textui ſæpius adeſſe, & lectioni juvandæ utiles eſſe, fateor : ſed id per accidens fieri contendo, in quantum ſcilicet vocalium magnarum, *Chirek* Magni, *Cholem*, & *Schurek* quaſi rudera & λείψανα quædam punctorum eraſorum exiſtunt, quod ex libris punctatis apparet, quorum dictionibus, eodem prorſus modo, ad hunc uſque diem manent intercalatæ. *Aleph* verò quod attinet, rariſſimè occurrit, quod & Adverſarii ultro fatentur. Adnotârunt Maſorethæ quindecim tantum locos, qui vulgò cum *Aleph* protractivo ſcribi dicuntur. Plures accumulare locos, in quibus *Aleph* non videtur additum, niſi ad vocalem *Chamets* deſignandam, ſed fruſtraneo prorſus molimine conatus eſt L. *Capellus. Arcan. punctat. lib.* 1. *cap.* 18. §. 12. Nam in omnibus, quibus *Aleph* protractivum intercalatur, vocibus, vel Radicalis exiſtit, vel anomalῶ redundat, iſtiuſmodi prorſus fato, quo aliquando deficere contigit. Certum eſt (inquit Clariſſimus *Hottingerus*) in contextu Hebræo multa occurrere, quæ ex Chaldaiſmo, Syriaſmo, & Arabiſmo lucem expectant, quod qui non viderunt, incertis ferè jactati ſunt conjecturis. *Gram. Harmon. lib.* 3. *part.* 1. *cap.* 25. Hinc loca illa pleraque Arabiſmum, non rudera alicujus Matris lectionis ſapere vult *Hottingerus*, quæ cum *Aleph* protractivo conſcribi dicuntur. Nam juxta illum, Quieſcentia ſecundâ *Vav*, quæ ejus loco

Aleph

Aleph assumant quiescens, Arabismo laborant, ut قَامَ: sic *Hos.* 10. 14. קָאם, surrexit; *Zach.* 14. 10. וְרָאסָה & exaltabitur; קָאסוֹת altæ. *Prov.* 24. 7. *Hotting. Gram. Harmon.* ubi suprà. Suam igitur insciti am produnt, qui ex hisce & hujusmodi Anomaliis, lectionem matribus lectionis olim celebratam fuisse contendunt; cùm non ex istiusmodi Matrum lectionis ruderibus, sed ex Idiotismo Arabico, vel forsan Chaldaico, aut Syriaco sunt oriundæ. Cæteras, quæ in sacris paginis occurrunt, Anomalias pleraſque ex iisdem fontibus emanâsse, verisimile est. Compendio utar verborum. Matres lectionis (quas vocant) *Aleph Vav Iodh*, nullis sacri textûs vocibus interseruntur, præterquam illis, quibus vel in codice punctato interseri, & debent, & regulariter solent; si modò pauculas voces anomalõs scriptas excipias, quæ nullas in hac causa Adversariis afferunt suppetias, nullas à nobis adimunt vires; quippe quarum ratio in aliquo linguæ sanctæ idiotismo (qui hodie nos latet) ponitur; vel in linguarum vicinarum, Arabicæ scilicet, Syriacæ, & Chaldaicæ, idiotismis, quorum imitatricem & æmulam se præbere gavisa est. Si igitur istas solum Matres lectionis usurpatas olim fuisse dixerint, quæ hodierno textui adhærent, illas veræ lectioni designandæ nequaquam sufficere, omnibus luculentissimè apparet, ut vel oculis judicare possint. Sin verò asseverârint, Matres lectionis olim omnibus insertas fuisse vocibus Biblicis, in quibus sonorum diversitas, vel saltem difficilior legendi ratio id postulaverit, sed tandem inventione

punctorum Tiberiensi obtinente, illarum quàm plurimas è sacro codice dispunctas fuisse, ut punctos vocales sua occupare loca permitterent, eosque sibi successores haberent; tum dicant, idque bonâ fide & evidentiâ ἀναντιῤῥήτῳ, velim, à quibus, ubi locorum, quando & quo jure, hæc in tot literarum Θεοπνεύστων exaratarum millia, excommunicationis anathemata fuerunt effusa? Sententiam hanc calculo suo, ut longè iniquissimam damnavit *Marcus Marinus Brixianus* in præfatione, quam Thesauro suo præfixit. Frivolum autem est dicere, Quiescentes אהוי supplere vices vocalium; nam si id verum esset, infinita א legi detracta essent, contra præceptum Dei; vel unicum saltem א hujusmodi, & nunc in lege inveniretur. Legitur semel קראם in Prophetis, alia fortasse de causa; in *Mose* verò nunquam tale א reperitur. Quid verò, quod in Pentateucho *Jodh* & *Vav* semper ferè suppressa sunt, quamvis alioquin essent describenda, ad denotandum *Çhirec* & *Çholem* puncta vocalia majora secundum præcepta Grammatices? Eant nunc, qui dicunt, אהוי ab antiquis pro vocalibus poni solita fuisse. *Marino* suffragatur *Buxtorfius* (*de punct. Orig part. 2. cap. 8.*) cujus hæc super hac re sunt verba. Jam verò hæc scribendi ratio non est nova, ut quis existimare fortassis possit, olim punctis absentibus frequentiùs has literas adscriptas fuisse; accedentibus verò punctis, tunc demum exemptas esse & erasas, ut vult Revelator. Hanc, subdit postea rationem. Constat enim, quanta superstitione rationem hanc scribendi observent Judæi, adeò ut, si liber aliquis legis vel literam unicam deficientem

entem ſuppleret & adderet; aut vocem plenè ſcriptam defectivè ſcriberet, hoc ipſo liber profanus fieret, ſicut diſertè legitur in præfatione libri *Minchath cohen*, ubi inter alia huc pertinentia ſic ſcribitur. כל המלאים והחסרים אם המלא הוא חסר ואחסל הוא מלא הסֵּת פסול ואסור לקרות בו: *Hoc eſt.* Omnium vocum plenarum & defectivarum hæc eſt ratio, ut ſi plena vox ſcribatur defectivè, vel defectiva ſcribatur plenè, liber legis eo ipſo profanus & illegitimus, prohibitúmque ſit in eo legere. Conſtat enim (inquit ille) illos rationem hanc ſcribendi *Moſi* ipſi attribuere. Hactenus *Buxtorfius.* Omnis igitur metus, ne dicam verecundia, illis abfuerit, qui primi ſunt auſi ita mutare quadrata rotundis; ita literas à Spiritu Sancto profectas eradere, & apices in male ſano ſuo cerebello confictos in earum locum infulcire, ſi unquam id factum fuerit, quod factum eſſe contendunt, Matrum lectionis patroni. Sed veriſimile non eſt, Judæos unquam voluiſſe literas, אוי ſi textuſ coævæ extiterint, vel è tot vocum millibus eradicare, vel in earum loca punctos ſubſtituere alienos. Ne verò tale quid unquam fieret, cautum eſt à Maſorethis, qui gloriantur, quod ſingulas legis literas, verſus, & accentus in memorato habeant. Vid. *R. Joſeph. Albo lib. Ikkarim part.* 2. *cap.* 22. Hanc ipſam ſententiam, ex Chriſtianis artis Maſorethicæ callentiſſimi cum Pontificii, tum imprimis Catholici fecerunt ſuam. *Arias Montanus* de variis in libris Hebraicis lectionibus, ac de *Maſoreth* ratione & uſu verba faciens, ita ſcribit.

ſcribit. Magna olim Antiquis Iſraelitis ſacrorum librorum lectionis religio, magnáque cura fuit; ut ne quidem non verborum tantùm, ſed nec minimorum etiam apicum detrimenti in eis fieret, omnibus modis & rationibus fuerit proſpectum. Sic & *Marinus*; ſic *Nicolaus Fullerus in Miſcel. Theolog. lib.* 3. *cap.* 13. Ubi *Maſoram* ſummis cumulat laudibus, utpote cujus beneficiò (inquit ille) non vocabula duntaxat, ſed ipſas etiam literas in numerato habent; adeo ut nulla ne minima quidem mutatio invehi queat ab hominibus aut indoctis, aut oſcitantibus, aut temerariis, quin è veſtigio facilè deprehendatur. Quandoquidem igitur, omnes Legis literas in numerato habere Judæi curârunt, hunc ſolum in finem, ne ſacro codici una litera vel adderetur, vel detraheretur, quis rationis compos, animum ſuum inducere poteſt, ut credat, illos matres lectionis אוי ex omnibus eliminâſſe vocibus Biblicis, quæ illis hodie deſtituuntur? Num æquum eſt, ſuſpicemur *Maſorethas* ædificaſſe, ut diruerent? enumeraſſe omnes legis literas, ut tot literarum millia loco poſteà moverent? datâ utique Judæorum circa omnes legis literas, eodem, quo à viris Θεοπνεύστοις acceperant, ſtatu conſervandas curâ, à non apparere Matrum lectionis in hodiernis exemplaribus, ad non fuiſſe, earum valet conſequentia. Certo certius, Matres lectionis, iſtum quem vellent Adverſarii in hodiernis exemplaribus, haud obtinent ſtatum; atque ideo illas iſtiuſmodi ſtatum vicarium, de quo controvertitur, nunquam antea obtinuiſſe, inferre licet, quoad Exemplar aliquod *Antitalmudicum*, ab Adverſariis proferatur, quod

quod Matribus lectionis gaudeat, ubicunque tandem legendi ratio, ut interſerantur, poſtulat.

CAPUT IV.

In quo, ſtatu Controverſiæ reſumpto, primam punctorum adſtruens antiquitatem proponitur argumentum.

HUcuſque hypotheſes quaſdam præliminares in medium adduximus, Quæſtioni præſenti elucidandæ, litique ex illa oriundæ apprimè utiles dirimendæ: ad ſtatum tandem Controverſiæ reverti, & noſtram argumentis quæ in hac cauſa ſuppetunt, ſententiam ſtabilire fas eſt.

Statum Quæſtionis, ne cui è memoria exciderit, nos ſic revocare in Legentis memoriam minùs pigebit, quem ſuprà ad hoſce redegimus cancellos; ita pro cauſæ merito inſtituimus.

Utrum ſcilicet puncta, quibus hodierna veteris teſtamenti exemplaria donantur, ſint Conſonantibus Biblicis Coæva? An potius ſint recentius aliquod & poſt-*Talmudicum* Rabbinorum Tiberienſium inventum, quod ipſi pro arbitrio ſacri codicis textui affixerunt?

Reſp. Nos poſterius negamus, priúſque affirmamus, iſtis freti, quæ jam ſequuntur urgenda, argumentis.

Sed

Sed ut omnis è medio tollatur homonymia quæ rixandi anſam Adverſariis exporrigat, perſuaſum habeant, me nihil de vocalium ſonis litium movere, ſed de ipſis vocalium figuris, quibus ſoni naturâ ſuâ ad auditûs Organon feriendum apti, evadunt viſûs objecta, & quaſi viſibilitatem fæliciùs adipiſcuntur. Hoc eò lubentiùs ſuggerendum curavi, quòd non ita multo antè vir quidam doctus, omniſque linguæ petulantis calumniis major, ob hanc omiſſam diſtinctionem, contrà quàm meritus eſt ignominioſe audiverit. Nos igitur ex alienis periculis præmoniti, ut adverſus omnia iſtiuſmodi diſcrimina præmuniamur, ſonorum apertorum antiquitatem cum Adverſariis agnoſcimus, inſupérque punctorum quibus fas eſt, antiquitatem literis conſonantibus coæqualem propugnamus argumentis.

(1.) PRimum argumentum punctorum antiquitatem adſtruens, à ſumma, quam præ omnibus aliis lingua ſancta obtinet, dignitate, eſt oriundum. Nimirum omnes ferè linguæ ne nimia laborent homonymia, vocalium figuris, quarum ope ſenſus non vagos, ſed determinatos edant, præſtentque ſe intelligibiles, gaudent. De *Armena*, *Æthiopica*, *Copta*, *Græca*, *Latina*, & cæteris pleriſque linguis, nullæ moventur lites; in propatulo res eſt: quid verò de linguis *Samaritana*, *Arabica*, *Chaldæa*, *Syriaca*, Hebraicæ linguæ finitimis, ſentiendum, ſuo loco dicetur. Certo certius, nulla ferè lingua nunc extat, quin vocalium figuris donetur: quibus careat lingua Hebraica, quæ micat inter omnes, velut inter

inter ignes Luna minores, (si ita cum vate loqui liceat) non est verisimile. Quippe primum in unoquoque genere est regula & mensura reliquorum. In cæteris ferè linguis vocalium figuræ Lectioni facilitandæ inserviunt, & intellectui pro filo sunt, in anfractuoso æquivocationum Labyrintho, aliter hæsuro: & quod post natæ fideliùs præstant, num putemus, Linguam Hebræam primogenituræ jus obtinentem, minùs esse præstituram? An æquum est credamus, quod ubi omnes ferè *Babelis* filiæ scitos pariunt fœtus & articulatè loquentes, sola Paradisus partus omnes elingues, & confusionem nusquam non spirantes eniteretur? Sunt hæc, nullus diffiteor, Linguarum cæterarum ornamenta, sed Linguæ Hebraicæ opprobria, eáque longè majora, quàm ejus primigenia dignitas patitur, ut ferat. Quælibet lingua quò univociùs, eò perfectiùs, animi sensa interpretatur: cùm igitur Lingua Hebræa maximam obtinuerit perfectionem, ut vocalium figuris gaudeat, quibus cæteræ homonymias scriptis eliminant, necesse est. Hasce vocalium figuras, fateor, supervacaneas judicare solent, pro præsumpta sua facultate κοχλικῇ, Doctores *Capellianí*: quos verò hujusce Linguæ antiquâ dignitate, & venerandâ antiquitate omnes alias superantis, debita tenet reverentia, illis nihil verisimiliùs, nihil rationi magis consentaneum videtur, quàm ut istis vocalium figuris instruatur, quæ sensum non multiformem, & æquivocum, sed univocum & vel vulgo Judæorum obvium, pariant. Huc spectant, quæ apud *Alstedium in Thesaur. Chron. edit. quart. cap. 28. pag. 267*, occurrunt. Lingua

sancta

ſancta (inquit) proculdubio fuit perfecta, cùm primum fuit orta: jam verò ad perfectionem linguæ faciunt conſonæ & vocales. Sic & *Rodolphus Cevallerius* pro punctorum antiquitate contendens, *Rudiment. Ling. Heb. cap.* 4. ferè pugnat. Quod ſupereſt, de vocalium & accentuum antiquitate, eorum ſententiæ ſubſcribo, qui Linguam Hebræam tanquam omnium aliarum ἀρχέτυπον abſolutiſſimum, plenè ab initio ſcriptam eſſe confirmant. Huic, ne ſit diſcordia fratrum, accinit *Petrus Cevallerius* in ſuis ibidem Annotationibus, cujus verba infra proferemus. Nec in contraria fuerit ſententia *Marcus Marinus*, qui in *præfat. Lex.* ita ſcribit. Literas Hebraicas, conſonantes & puncta vocalia ſimul inventa, & hominibus tradita eſſe, ſive à Deo, ſive à quovis alio crederem. Nam ſecus hæc lingua omnium aliarum eſſet imperfectiſſima, cùm nihilominus abſolutiſſimam eſſe conſtet. An putas tandem eſſe veriſimile, ſonum vocalium ſentiri quidem, ſed non deſignari poſſe, quemadmodum conſonantium ſonus, cui etiam figura data eſt? Hiſce omnibus ſuffragantem habemus *R. Aſariam*, qui poſt refutatam *Eliæ* opinionem, ita in *Meor. Enaiim. cap.* 59. ſcribere pergit.

כִּי הִנֵּה כַּאֲשֶׁר נַחְקוֹר עַל כָּל־יֶתֶר דִּלְשׁונוֹת
הַנּוֹדָעוֹת נִמְצָא שֵׁשׁ לְאוֹתִיּוֹתֵיהֶן סִימָנֵי הַקּוֹלוֹת
וְהַחֲבֵרוֹת אֵם אוֹתִיּוֹת מִפִּי כְּפִי הַנּוֹדָע בִּלְשׁון
הָאִיטַלְיקִי וְהָרוֹמִי וְהַיְוָנִי בְּאַרְצוֹתֵינוּ וְכֵן הָאַרְמִינִיקוֹ
וְהַפַּרְסִיאָנוּ כְּפִי שֶׁרָאִיתִי בְּסֵפֶר מְבוֹא הַלְּשׁונוֹת לְאָח
וּלְמַטָּה

וּלְמַטָּה טִיטִיאוּ ׃ אוֹ נְקוּדוֹת וְקוֹים אוֹ צִיוּנִים לְמַעְלָה
וּבְאֶמְצַע בְּכָשׁוֹן הָעִבְרִי תַּחְלֹה וְהָעַרְבִי וְהָאַרְמִי
אֲחֲרָיו אֲשֶׁר נִשְׁתַּמְּשׁוּ הֵמָּנּוּ ׃

Hoc eſt. Quod ſi ſcrutati fuerimus omnes reliquas linguas nobis notas, inveniemus, illarum literas habere notas vocalium & ſonorum ; & quidem vel literas revera (ut lingua *Italica*, *Romana*, & *Græca* in regionibus noſtris ; *Armeniaca* item & *Perſiana*, prout vidi in libro introductionis Linguarum *Theſei Ambroſii*) vel puncta, lineolas, aut notas quaſdam ſuprà, infrà, & in medio ; (ut primô lingua Hebræa, & poſt eam lingua *Arabica*, & *Aramæa*, quæ ex ejus confuſione ſunt ortæ) Hæc *Aſarias* ; qui ibidem, paucis interjectis, hanc ſubdit concluſionem. Hinc itaque, cùm linguæ illæ ſimiles & maximè affines ſint linguæ Hebrææ, ex eâque deſumptæ, jure poſſumus concludere, & diſcere, quod etiam linguæ Hebraicæ antiquitàs puncta fuerint. Ego planè idem, quod *Aſarias*, ſentio. Nullo enim modo veriſimile eſt, linguas cæteras ferè omnes, ſuas ab initio vocales habuiſſe, Hebraicam verò, ex qua deſumptæ fuerint, iis caruiſſe. Verbulo dicam. Rationi maximè conſentaneum eſt, quod ad Hebraicæ Scripturæ imitationem, Linguæ pleræquæ omnes ſuas excogitârint vocalium notas, & figuras, quas, velut venuſtæ matris lineamenta non quidem φύσει, ſed μιμήσει quâdam æmulâ, propagatâ, ipſæ degeneres licèt filiaſtræ adhuc uſurpant.

CAPUT.

CAPUT V.

In quo ſecundum, punctorum antiquitatem adſtruens, adducitur argumentum, idque ab ipſius punctationis natura deſumptum.

(2.) SEcundum nobis ſuggerit argumentum ipſe punctationis genius ac natura, quæ reſpectu acceptionis formalis, quam vox omnis ſortitur, ita ſe habet ad conſonas, ut forma phyſica, ad materiam, cujus indifferentiam, ac communem naturam determinat, reſtringit, atque in certa rerum ſpecie conſtituit. Quod vox ſit, quod articulata ſit, atque eſſe habeat intentionale, à Conſonis partim eſſe, lubens fateor: ſed quod vox ſit hæc, non alia, quod ſenſum ſortiatur determinatum, non æquivocum, quod hoc, non illud ſignificet, punctationi maximè adſcribendum eſt. Quemadmodum enim materia prima, quæ in ſe ſpectata ad omnes formas exiſtit indifferens, ſimul ac formam debitam ſuſceperit, indifferentiam ſuam exuit, & ſub hac vel illa ſpecie exiſtit determinata: ſic literæ Hebræorum Radicales, quæ ad plurimas res, & ſæpiùs ſpecie diverſas, ſignificandas aptæ ſunt, ſimulatque propriis donatæ fuerint punctis, ſignificationem non vagam, ſed certam determinatámque ſortiuntur. Si exemplis abundare curæque cordique eſſet, non deſunt ſexcenta, quæ huic argumento ſtabiliendo ſe offerunt: ſed tres iſtas literas דבר meminiſſe abundè

abundè ſufficiat; quippe illas pro varia punctorum ſuppeditatione, ſignificationes viginti plus minus, eaſque planè diverſas fundere, vel pueri hebraizantes norunt. Locutus eſt; locuti ſumus; loquere tu vir; loquere tu fœmina; loquimini vos viri; loqui; loquens; dictum; vehementer locutus eſt; vehementer locuti ſumus; loquere tu vir, vel tu fœmina, magna cum παῤῥησία; loquimini vos viri vehementer; loqui vehementer; ſermo de eo factus eſt; in ſermone habiti ſumus; prædicari; prædicatum; verbum; peſtis; adytum; ovile; omnes haſce ſignificationes, ex iſtis tribus literis, aliis atque aliis vocalibus inſtructis, elicere fas eſt. Hinc itaque, inferre licet, è punctatione unitatem ſignificationis, quam voces ſortiuntur Hebraicæ, eſſe oriundam; ab eaque maximè dependere. Huc faciunt, quæ apud Hebræos, punctorum, occurrunt, elogia. *R. Bechai in Comment. in lib. legiſ. in ſect. Vaiikra*, ſive ad *Gen.* 18. 3. ex libro *Bahir*, cujus Author fuit *R. Neconia Ben Hakkana*, qui triginta annis ante Chriſtum floruit, hæc in medium protulit. נִמְשְׁלוּ הָאוֹתִיוֹת לְגוּף וְהַנְּקוּדוֹת לְנְשָׁמוֹת: כִּי הַנְּקוּדוֹת מְנִיעוֹת הָאוֹתִיוֹת כְּמוֹ שֶׁהַנְּשָׁמוֹת מְנִיעוֹת אֶת הַגּוּף: *Hoc eſt.* Aſſimilantur literæ corpori, & puncta animæ: puncta enim movent literas, ſicut anima movet corpus. Hiſce ſimilia ex libro *Zohar* afferri ſolent, cujus Author fuit רשבי i.e. *R. Schimeon Ben Jochai*, qui multis, ante *Talmud* inchoatum, annis floruit. לֵית לְכָל אַתְוָן רְשׁוּ לְנַטְלָא לְהָאי סִפְרָא וּלְהָאי

סְטָרָא בַּר בִּנְקוּדֵי אַתְוָן בְּלָהוּ כְּגוּף בְּלָא נִפְשָׁא
כַּר אָתְוָן נְקוּדֵי הָא גוּפָא אִתְקַיֵּם בְּקִיּוּמֵיהּ :

Hoc eſt. Non eſt literis poteſtas inclinandi in hanc vel illam partem abſque punctis. Literæ omnes ſunt ut corpus ſine anima : cum adveniunt puncta, tunc conſtituitur corpus in ſtatione ſua. Hinc, ſuffragante etiam ratione, puncta in unaquaque voce efformandâ primas tenere liquet, literáſque ſenſum multiformem ad ſuſcipiendum naturâ ſuâ comparatas, ad unum coarctare ; quod eorum antiquitatem planè evincit. Quis enim affirmare auſit, ſacras Scripturás Θεοπνεύσους conſignatas, materiæ omnibus formis nudatæ, vel corpori animæ vacuo, eſſe ſimiles ? Nec ſatisfactum eſt argumento, ſiquis obtendat, Hebræos, quibus Lingua ſancta fuit vernacula, facili negotio debita cujuſque vocis puncta aſſignare potuiſſe ; nunquam enim probari poterit, ab iſtiuſmodi conjecturis, ac hariolatiunculis incertis genuinum Scripturæ ſenſum pendere ; quod infrà demonſtrandum. Interea loci, cum puncta Hebraica cujuſque vocis Biblicæ principalem partem conſtituat, abſit, ut quos orthodoxæ fidei tenet εὐλάβεια, à parte *Elianorum* ſtent obfirmati ; quippe quorum dogma ſacrarum literarum partem e medio tollit eſſentialem. Vocum quidem materia ſunt literæ : ſed nihil certi repræſentant, priuſquam debita illis acciderit punctatio.

CAPUT.

CAPUT VI.

In quo, ex ἀυθεντίᾳ, quâ pollent puncta Hebraica, illa literis coæva esse arguitur.

(3.) TErtium nobis suppeditat argumentum ἀυθεντία, quam consonis coæqualem puncta sortiuntur Hebraica. Quæ enim eandem cum ipsis literis in voluntate Dei hominibus patefacienda obtinent authoritatem, ea pari antiquitate, eadémque origine divinâ pollere necesse est. Quia nihil sacrarum Scripturarum sibi ἀυθεντίαν jure vendicat, præter illud solum quod à Θεοπνευσίᾳ fuerit profectum. Huic acceptam ferunt authoritatem suam literæ; huic, quâ pollet materia substrata suam debet ἀυθεντίαν; atque ideo ipsa punctorum authoritas, siqua est, ex eodem Θεοπνευσίας fonte proficiscatur, oportet. Quod verò puncta Hebraica hâc gaudent authoritate, ex salvatoris nostri verbis *Mat.* 5. 18. occurrentibus, quibus vehementius asseveravit, ἰῶτα ἓν, aut μίαν κεραίαν à lege non præterituram esse, donec transeat cœlum & terra, colligi posse putant haud infimi judicii homines. In confesso est apud omnes, phrasiologiam esse proverbialem, aliquid in lege minimum significantem, quod per multa secula gens Judaica adagiorum tenacissima in peculiis habuerat. *Iodh* verò ex omnibus legis literis apud Hebræos minimam esse, ἀυτοψίᾳ constat: per κεραίαν igitur aliquid in lege ipsa *Iodh* minus, christum intellexisse veri-

ſimile eſt, puncta ſcilicet Hebraica, quæ ſola figuram τῦ ἰῶτα figurâ minorem in lege ἐγγεάφῳ obtinent. Ita hunc Scripturæ locum in rem ſuam interpretatus eſt Cl. *Alſtedius. in Theſaur. Chronolog. cap.* 28. *pag.* 267. Chriſtus *Mat.* 5. 18. facit mentionem τῦ ἰῶτα ϗ τῆς κεραίας, in lege, ubi per ἰῶτα ϗ κεραίαν intelligit minima quæque in contextu ſacro. Jam verò manifeſtum eſt, per κεραίαν intelligi apicem, ſicut per ἰῶτα minimam literam. Cedo autem (inquit ille) apicem aliquem ex elementis linguæ ſanctæ, qui non ſit de numero punctorum. Hanc interpretationem ante *Alſtedium*, amplexus eſt *Rodolphus Cevallerius*, qui *Gram. cap.* 4. ſcribit, quod conſtat inter omnes ſanos, Biblia notulis & punctis diſtincta fuiſſe ante Chriſti adventum, quemadmodum hodierno die legimus, & tamen ad minimum uſque apicem ſacro illius ore fuiſſe comprobata. Sic *Amandus Polanus Syntag. lib.* 1. *cap.* 37. ſcribit, quod Chriſtus *Mat.* 5. 18. clarè teſtatur, ſcripturam divinæ legis non ſolum conſonantibus (quæ per *Iodh* earum minimam intelliguntur) verùm etiam apicibus conſtare, (per quos puncta utique denotantur) atque utriſque parem antiquitatem & authoritatem adtribuit: tum à patre cœleſti utraque eſſe profecta agnoſcit, eâque nobis eâ religione commendat, ut quibus æterna Dei voluntas & vera ſalus duntaxat contineatur. In hâc olim fuiſſe ſententia *Johan. Piſcatorem* ejus in hunc locnm teſtantur ſcholia. *Iota* (inquit ille) eſt litera minima, qualis in ſcriptura Hebraica, eſt litera *Iodh*; ſicut & ἰῶτα in Græca: apex κεραία, ſic vocat, quæ hodie nominantur puncta, quæ

in

in Scriptura Hebraica, literis variè adſcribuntur, ad ſignificandum, tum juſtum quarundam ſonum, tum ſonos vocales; tum verò etiam accentus, & orationis membra. Hinc apparet, ſacra Biblia tempore Chriſti notata fuiſſe punctis, & punctationem illam ab ipſo eſſe approbatam. Hanc admittit interpretationem *Salomon Glaſſius. Philolog. ſacr. part.* 1. *pag.* 18. item *Chemnitius* in Græcis omnium ferè Κεφαλαίοις. *in Harm. Evang.* Huic quoque favet interpretationi Cl. *Buxtorfius*, quod ex verbis ejus apparet. Probabile itaque eſt, Chriſtum per χεραίαν intellexiſſe puncta & accentus figuram minorem habentes; quia præter literas nihil aliud eſt in lege Hebræorum, vim ſeu poteſtatem aliquam habens, præter puncta vocalia & accentus. Habent, fateor, Adverſarii, quod nobis, per χεραίας, puncta intelligentibus obijciant: ſed ſiquid ego judico, non tanti ponderis, quod quemquam impeditum detineat; nedum de ſententiâ ſuâ jure dimoveat. Summa Objectionis palmariæ (cæteras enim miſſas facio, ut projectâ viliores algâ) ne quemquam lateat, huc redit.

Obj. Puncta vocalia & accentus per χεραίαν non poſſunt ſignificari; ſiquidem hæc vox non aliquid per ſe exiſtens & ſeparatum, qualia ſunt puncta Hebraica, ſed majoris corporis, aut ſigni particulam aliquam aut eminentiam, atque veluti corniculum aliquod ſignificat; quales ſunt corniculatæ illæ eminentiæ, quæ in literis quibuſdam Hebraicis conſpiciuntur. Sic *Capellus Arean. punct. lib.* 2. *cap.* 14. cui Cl. *Walton.* & *Spanhem.* ſunt ſuffragati, ſolâ hujuſce vocis notatione freti;

ti ; quam ἀπὸ τῦ κέρατ☉ petunt. Κέρας verò non totum animal, ſed animalis cornua ſignificare omnes nôrunt: atque ideò non totum aliquod per ſe exiſtens, ut punctum, ſed corniculatas literarum eminentias & ductus per κεραίαν intelligi debere contendunt.

Reſpond. Hæc ita ſummâ (uti *Grotius*) in cute ſpectata ſpeciem veri habent ; introſpecta tamen mihi ſe non probant ; quippe quibus nihil virtutis polemicæ ineſt ; ne γρὺ quidem. Siqua enim vox primitiva partem alicujus rei tantùm ſignificet, ut omnes voces inde derivatæ, rem totam per ſe exiſtentem nunquam, ſed partem rei ſemper ſignificarent, nullo modo neceſſe eſt. Quippe voces non ſemper primitivis ſuis, ſed ſæpiùs uſui, & conſuetudini in ſignificando ſe accommodare oportet. Sic οὖς non totum animal, ſed animalis aurem ſignificat ; nemo tamen inficias ibit, ὠτὸν ſignificare avem quandam nycticoraci ſimilem. Δάκτυλον non ſignificare totum hominem, ſed ejus digitum tantùm, manifeſtum eſt : & tamen δακτύλιον inde oriundum, non partem alicujus ornamenti, ſed totum illud ornamentum, qui annulus Latinè appellatur, ſignificare concedunt omnes. Sic κεφαλὴ, partem corporis ſummam ſignificat, non totum : quo non obſtante, vox κέφαλ☉ inde oriunda, totum piſcem, qui eo gaudet nomine, ſignificat, non aliquam tantùm ejus partem. Sed ex ipſâ voce à quâ κεραία originem duxiſſe putatur, aliquot expullulâſſe voces, res totas per ſe exiſtentes, & non tantùm rerum particulas, ſignificantes, probatione indiget nullâ. Quis neſcit, κεραλίνην totum iſtud inſtrumentum

tum bellicum, cui nomen eſt buccina; & κεράτιον, ſiliquam, vel totum leguminum folliculum, non aliquam ejus particulam ſignificare; licèt voces hæ derivativæ ſint ambæ, ἀπὸ τῦ κέρατος oriundæ. Cùm igitur appropriatio alicujus vocis primitivæ ad partem alicujus rei ſignificandam facta, non prohibet, neque impedit vocum inde traductarum, ad totum aliquod ſuppoſitum ſignificandum, accommodationem uſu factam; hinc cuivis præjudicii glaucomate non laboranti manifeſtò conſtet, objectionem ſuprà allatam ſibilis potius, quàm rationum momentis eſſe exagitandam. Quid enim ſtultius, aut viris doctis indignius, quàm tam pueriles & manifeſtas nectere ἀναγκολαβίας? Κέρας ſcilicet non totum animal, ſed partem ejus aliquam, nempe cornua ſignificat; ergo κεραία inde oriunda, non punctum per ſe exiſtens & ſeparatum, ſed corniculatas literarum particulas ſignificabit. Apagè iſtiuſmodi nugas! Certè, à poſitione notationis, ad negationem ſignificatûs quo vocem aliquam derivativam uſus donavit, non valet conſequentia. Quid enim argumenti à notatione ducti contra quod uſus imperat?

(2.) Sed vocis hujus κεραίας non è Græco ſermone, ſed ex Hebræis fontibus nativum etymon hauriendum aliqui volunt. Hinc *Hutterus* in verſione ſua habet חִירֶק אַחַד; quaſi Chriſtus per κεραίαν *Chirec* vocalium omnium Hebraicarum minimam, voce ad linguæ Græcæ genium paululùm accommodatâ, intellexerit. Quibus hæc vocis κεραίας notatio aliena videtur, ejus forſan originem, non ἀπὸ τῦ κέρας, ſed ἀπὸ τῦ κεράδαι ut deducamus, probabunt. Certè hâc datâ vocis

ti ; quam ἀπὸ τῦ κέρατ☉ petunt. Κέρας verò non totum animal, ſed animalis cornua ſignificare omnes nôrunt: atque ideò non totum aliquod per ſe exiſtens, ut punctum, ſed corniculatas literarum eminentias & ductus per κεραίαν intelligi debere contendunt.

Reſpond. Hæc ita ſummâ (uti *Grotius*) in cute ſpectata ſpeciem veri habent ; introſpecta tamen mihi ſe non probant ; quippe quibus nihil virtutis polemicæ ineſt ; ne γρὺ quidem. Siqua enim vox primitiva partem alicujus rei tantùm ſignificet, ut omnes voces inde derivatæ, rem totam per ſe exiſtentem nunquam, ſed partem rei ſemper ſignificarent, nullo modo neceſſe eſt. Quippe voces non ſemper primitivis ſuis, ſed ſæpiùs uſui, & conſuetudini in ſignificando ſe accommodare oportet. Sic οὖς non totum animal, ſed animalis aurem ſignificat ; nemo tamen inficias ibit, ὠτὸν ſignificare avem quandam nycticoraci ſimilem. Δάκτυλον non ſignificare totum hominem, ſed ejus digitum tantùm, manifeſtum eſt : & tamen δακτύλιον inde oriundum, non partem alicujus ornamenti, ſed totum illud ornamentum, qui annulus Latinè appellatur, ſignificare concedunt omnes. Sic κεφαλὴ, partem corporis ſummam ſignificat, non totum : quo non obſtante, vox κέφαλ☉ inde oriunda, totum piſcem, qui eo gaudet nomine, ſignificat, non aliquam tantùm ejus partem. Sed ex ipſâ voce à quâ κεραία originem duxiſſe putatur, aliquot expullulâſſe voces, res totas per ſe exiſtentes, & non tantùm rerum particulas, ſignificantes, probatione indiget nullâ. Quis neſcit, κεφαλίνην totum iſtud inſtrumentum

tum bellicum, cui nomen eſt buccina; & κεράτιον, ſiliquam, vel totum leguminum folliculum, non aliquam ejus particulam ſignificare; licèt voces hæ derivativæ ſint ambæ, ἀπὸ τῦ κέρατος oriundæ. Cùm igitur appropriatio alicujus vocis primitivæ ad partem alicujus rei ſignificandam facta, non prohibet, neque impedit vocum inde traductarum, ad totum aliquod ſuppoſitum ſignificandum, accommodationem uſu factam; hinc cuivis præjudicii glaucomate non laboranti manifeſtò conſtet, objectionem ſuprà allatam ſibilis potius, quàm rationum momentis eſſe exagitandam. Quid enim ſtultius, aut viris doctis indignius, quàm tam pueriles & manifeſtas nectere ἀναπολογίας? Κέρας ſcilicet non totum animal, ſed partem ejus aliquam, nempe cornua ſignificat; ergo κεραία inde oriunda, non punctum per ſe exiſtens & ſeparatum, ſed corniculatas literarum particulas ſignificabit. Apagè iſtiuſmodi nugas! Certè, à poſitione notationis, ad negationem ſignificatûs quo vocem aliquam derivativam uſus donavit, non valet conſequentia. Quid enim argumenti à notatione ducti contra quod uſus imperat?

(2.) Sed vocis hujus κεραίας non è Græco ſermone, ſed ex Hebræis fontibus nativum etymon hauriendum aliqui volunt. Hinc *Hutterus* in verſione ſua habet חִירֵק אֶחָד; quaſi Chriſtus per κεραίαν *Chirec* vocalium omnium Hebraicarum minimam, voce ad linguæ Græcæ genium paululùm accommodatâ, intellexerit. Quibus hæc vocis κεραίας notatio aliena videtur, ejus forſan originem, non ἀπὸ τῦ κέρατος, ſed ἀπὸ τῦ κεράσθαι ut deducamus, probabunt. Certè hâc datâ vocis

 notatione,

notatione, cui linguæ Græcæ analogia minùs repugnat, vocula hæc κεφαία, puncta Hebraica aptiſſimè indigitat; quæ literis, ad ſyllabas conſtituendas accentuandáſque, nuſquam non immiſcentur.

(3.) Sit vox κεφαία ab hoc, vel à Themate ſuperiori oriunda, parum refert; multa enim ſuadent, eam non corniculatas literarum particulas, ſed iſtiuſmodi lineas & puncta ſignificare, quæ Hebræi in ſacro codice deſcribendo olim uſurpârunt, & etiamnum pro vocalibus atque accentibus uſurpant. Vox quidem κεφαία apud Græcos ſcriptores rariùs occurrit, ſed eo aliquando, quem volumus, ſenſu. Sic *Plutarchus* (*lib.* 2. adverſus *Col.*) ſcribit, *Epicurum* cum *Democrate* moviſſe lites περὶ συλλαβῶν καὶ κεφαιῶν, de ſyllabis & apicibus: ubi nihil commodè intelligi queat per κεφαίας, præter integra ſonorum & accentuum ſigna, ex quibus vel conflantur, vel accinuntur ſyllabæ. Cæterùm vocem hanc κεφαίαν interpres Syrus vertit ܩܘܨܝܛܐ, Arabs قطة, quarum vocum tam hæc, quam illa, non alicujus lineolæ partem, ſed lineam integram, ſeu virgulam, (qualia ſunt apud Hebræos puncta aliquot tum vocalia, tum accentualia) ſignificat. Adhæc, per κεφαίαν puncta intellexiſſe Hebraica videtur Author libri *Amana*, cùm nullum in ſcriptura errorem eſſe aut mendum ait; ne quidem בקוריה אחת או אות אחת, in apice uno, aut litera una. *Paſorem* verò per κεφαίαν puncta intellexiſſe, quæ, de hac voce in Lexico occurrunt, teſtantur verba. Per apicem (inquit) intelligitur

telligitur hîc punctum ; puncta vocalia ergo tempore Chriſti fuerunt, & non, ut quidam fingunt, recens inventa. Verum enim verò, argumento, quod ex Chriſti verbis eliciunt quidam haud infimi nominis Theologi, aliique non pauci ingenio, doctrinâ, & linguarum ſcientiâ præſtantiſſimi ſanè viri, miſſo ; punctorum αὐθεντίαν rationi, quàm Scripturæ adeò controverſæ authoritati, inniti malim. Equidem, uti par eſt, confiteor, quod hoc unius Chriſti, veteris inſtrumenti codicem, ad minimum uſque apiculum prorſus divinum eſſe aſſeverantis teſtimonium, plus ponderis apud nos habere debeat, quàm omnia contrà-ſentientium Κριζούντα, omneſque ratiuncularum phalaratæ imagines, quibuſcum *Ludovicus Capellus*, *Johannes Morinus*, & cæteri ejuſdem commatis novatores, punctationi Hebraicæ exauctorandæ inſidiantur. Sed illorum ſatisfactioni, qui argumento ex Chriſti verbis petito minùs acquieſcunt, conſulendum eſt. Hoc ut fiat, perpendant quæſo, quot abſurdis, & quàm periculoſis contraria oneratur opinio. Si enim punctorum authoritas non ſit divina, ſed à *Maſorethis Tiberienſibus* (quos tanquam homines moroſos, ſuperſtitioſos, ſcrupuloſos *Capellus* paſſim depingit) profecta ; annon hinc neceſſariò ſequatur, quod iſte ſenſus, quem punctorum hodiernorum lectio exhibet, authoritatem habeat humanam, adeóque incertam ac fallibilem, ad quam nemo jure divino tenetur adſtrictus ? quod cùm puncta pro arbitrio excogitârint *Maſorethæ*, cuivis liberum ſit, illa vel ſequi, vel rejicere, prout ſibi viſum fuerit ? quod denique puncta,

puncta, ſiqua noſtro judicio minùs congrua videantur, ſint corrigenda, pro illis alia ſubſtituenda, atque ipſe ſenſus ex hodiernâ punctatione oriundus, ubique priuſquam pro genuino & vero admittatur, ad noſtrum examen revocandus ? Quomodo verò (uti *Buxtorfius*) conſiſtet hâc ratione veritas Hebraica, pro qua tot pugnârunt inſignes Theologi, ac tanquam pro aris digladiâti ſunt ? Lubrico certè pede admodum, aut nullo, vacillabit in omnes partes, in omnia latera; ubicunque ea contingetur, nutabit ! Ad id, quod obtendunt Adverſarii, *Maſorethas* ſcilicet *Tiberienſes* non pro arbitrio hanc excogitâſſe punctationem, ſed puncta affixiſſe ſecundum Lectionem receptam ac uſitatam, quæ mentem ſpiritûs ſancti ritè exhibuit, atque ideo nullo modo eſſe immutanda, reſponſum aptavit D. D. *Owenus* planè ineluctabile. *Theolog. lib.* 5. *digreſ.* 1. *pag.* 396. Quibus iſte liber, (tali authore certè dignus) non eſt, cogitent quæſo, Lectionem uſitatam & traditionem, quam normam punctorum affigendorum fuiſſe fingunt Adverſarii, tunc temporis penes Rabbinos *Tiberienſes* ſolos, vel cæteros ejuſdem commatis homunciones fuiſſe; atque ideo hodiernam punctationem, eorum arbitrio, ſcientiâ & fidelitate totam niti. Credamus enim oportet Rabbinos hoſce puncta, quæ excogitârunt, Bibliis affixuros, propriis uſos fuiſſe judiciis, propriiſque memoriis, ad lectionem uſitatam ab inuſitatâ, ad traditionem genuinam ab adulterâ diſcernendum; circa quod iſtiuſmodi nugivendulos labi potuiſſe, & pro eorum judicii vel memoriæ hallucinatione,

puncta

puncta non Spiritûs Sancti mentem ritè exhibentia, ſed à veritatis tramite abducentia apponere, nemo, opinor, inficias ibit. Quo poſito, qui punctorum ἀυθεντίαν è medio tollunt, eorúmque inventionem Rabbinis juxta lectionem, neſcio quam, apud ſe receptam, vel traditionem à ſemetipſis cuſtoditam, Biblia ſacra punctantibus adſcribunt, ipſi, ſi quid ego judico, reverâ concedunt, quod verbotenus inficiantur; Rabbinos nimirum *Tiberienſes* puncta omnia pro arbitrio Bibliis affixiſſe, Lectionémque univerſi textûs Hebraici, quam puncta hodierna exhibent, totam ab horum tenebrionum fide pendere, eique unicæ inniti. Hoc igitur cùm longè abſurdius ſit, quàm ut recta ratio unquam admittat, puncta non à *Maſorethis Tiberienſibus* recens eſſe inventa, ſed à Spiritu Sancto profecta, atque literis ipſis coæva, dicamus oportet.

CAPUT.

CAPUT VII.

In quo punctorum adſtruitur antiquitas ex iſta, quâ ſacræ Scripturæ, pollent, perſpicuitate.

(4.) QUartum nobis argumentum præbet ſacrarum Scripturarum perſpicuitas, quam Spiritus Sanctus illis ineſſe docet, S. Patres ampliſſimis celebrant elogiis, omnéſque Catholici ſuſcipiunt, totis viribus propugnandam. Fatentur quidem tum patres tum Catholici omnes in ſacris paginis iſtiuſmodi tradi myſteria, quorum cognitionem adæquatam & comprehenſivam nulla unquam mens humana aſſequi potuerit: at interim ore pleno ac rotundo dicunt, modum tradendi eſſe perſpicuum, maximâ facilitate donatum, & ad captum vulgi in omnibus ad fidei πληροφορίαν neceſſariis, accommodatum. Πάντα σαφῆ καὶ εὐθέα τὰ παρὰ ταῖς θείαις γραφαῖς, πάντα τὰ ἀναγκαῖα δῆλα. *Chryſoſt. hom. 3. in epiſt. 2. ad Theſ.* Quæcunque in divinis ſcripturis ſunt, ea dilucida & recta; omnia perſpicua ſunt, quæ neceſſaria. Sic *hom. 2. in Johan.* τοσαύτην τοῖς ῥήμασιν ἐγκαθίδρυξεν εὐκολίαν, ὡς μὴ μόνον ἀνδράσι, καὶ συνετοῖς, ἀλλὰ καὶ γυναιξὶ καὶ νέοις ἅπαντα εἶναι τὰ λεγόμενα δῆλα. Tantam verbis ſuis adhibuit Deus perſpicuitatem, ut ſint, quæ dixit, perſpicua non viris tantum iiſque prudentioribus, ſed etiam mulieribus, & adoleſcentulis. Calculum adjicit ſuum *Auguſtinus.* Modus ipſe dicendi (inquit *epiſt.*

epiſt. 2.) quo ſcriptura contexitur, quàm omnibus acceſſibilis, quamvis pauciſſimis penetrabilis; ea quæ aperta continet, quaſi amicus familiaris ſine fuco ad cor loquitur, indoctorum atque doctorum. Sic quoque *Epiphan.* contra *Ariomanitas* & *Anomœos. hareſ.* 69. Πάντα δὲ σαφῆ καὶ διαυγῆ καὶ ὑδὲν ἐναντίον ὐδὲ θανάτου παραπλοκῆς ἔχον ὅδ' ἐν τῇ θείᾳ γραφῇ. Omnia ſunt clara & lucida, nihil contrarium, aut habens mortiferæ perplexitatis vel ſpeciem in ſacrâ Scripturâ. Sed ſuam perſpicuitatem ipſa firmat Scriptura teſtimoniis omni exceptione majoribus, dum ſe eſſe lucidam, lucernam pedibus noſtris coaptatam, & tanta cnm facilitate exaratam, ut nihil prohibet, quominùs legens in ea currat, paſſim locorum aſſeverat. Quomodo verò talis ac tanta codicibus non-punctatis inſit perſpicuitas, me nullatenus poſſe capere, lubens confiteor. Quippe ut prius conſtet de literis & vocalibus, quàm legamus, & priùs de lectione Scripturæ genuinâ ac indubitata, quàm Spiritus Sancti mentem capiamus, neceſſe eſt. Hinc confitentes habemus pleroſque omnes, illum qui legit Hebraica ſine punctis maximâ ſæpiùs perplexitate hærere impeditum, & in Cimmeriis quaſi tenebris verſari. Hanc ita ſe rem habere pleno ore pronunciat Author ſu *Midhraſch*, ſeu Commentarii ſuper *Cant.* in *Zohar.*

לֵית קְיוֹמָא וּנְהִירוּ לְכָל אַתְוָן בַּר בִּנְהִירוּ דְּנִקּוּדִין וְכוּלּוֹ יְתְמַסַר בְּרָזָא דְאוֹרַיְתָא בְּסִינַי: *Hoc eſt.* Nulla eſt certitudo aut lux ullis literis, niſi in luce punctorum, quæ omnia tradita ſunt per ſecretum legis in monte Sina. Ubi author iſtius libri

libri antiquiſſimi eâdem fideliâ punctorum tum venerandam originem, tum eorum neceſſitatem ad ſacrum textum elucidandum, deſcribit. *Morinus* haud occinit, ſed magna cum παῤῥησίᾳ affirmat, hoc genus ſcribendi ſine punctis vocalibus fuiſſe ſacrorum Amanuenſium intentioni maximè accommodatum, quibus ita cautum fuit, ne vulgus Judæorum ſacras paginas legerent, ſed à Myſtagogarum ore pendere, neceſſe haberent. Scriptura iſtiuſmodi (inquit *Gram. Samarit. cap.* 15. *pag.* 90.) non eſt cuivis è plebe lectu facilis, quo fit, ut illius periti à plebe majori honore habeantur. Ex hiſce (ipſis punctorum inimicis judicibus) conjectare licet, quantum chaſma, quantus hiatus inter codicem non punctatum, & iſtam, quam ubique Spiritus Sanctus Bibliis adſcribit, perſpicuitatem intercedat. Ferè dixerim, quod dies & nox, lux & tenebræ non magis ab invicem diſtant, quam ſacri codicis perſpicuitas, & ἀστιγμία *Capelliana*. Utcunque hoc auſim dicere, tantam perſpicuitatem ſacro codici afferre, tantæ neceſſitatis ad genuinum Spiritûs Sancti ſenſum eliciendum, punctationem eſſe, ut ipſâ è medio ſublatâ, totus ferè contextus ſacer ænigmaticus, & horrendis homonymiarum tenebris undique circumfuſus, dictum factum, evadat. Quanta enim ex punctis eraſis confuſio verborum cum nominibus, temporis cum tempore, numeri cum numero, perſonæ cum perſonâ, & per conſequens cujuſlibet cum quolibet ſit futura, præſagiens exhorreſco. Quod vox omnis quo magis πολύσημος, eò magis ſit ἄσημος, nemo ferè eſt, qui neſcit. Suppoſito igitur impræſentiarum,

tiarum, unius vocis Hebraicæ ex iisdem numero literis constantis, (ut ערב) dari significationes tantùm octo vel decem, (quod de plerisque vocibus Hebræis, ipsa hujusce linguæ analogia supponamus, jubet) hinc qui Scripturis legendis vacat, compertum habere nequit, quin (ubi præsertim ipsa orationis series faceni minùs præferat) tantum à genuina cujusque vocis lectione distat, quantum à Monadico numerus denarius. Qui, pro ea, quâ sunt, ἀνθρώπῳ, aliter sentiunt, punctis vocalibus loco motis & accentibus distinctivis omnibus, nudas literas accedant, sensûs & intellectûs, quem punctorum ope è sacris fontibus imbiberant, penitus vacui; illico compertum habebimus, quid cerebrum γραμματῶν ἄγραφον referens, quid facultas σοφιστική, in genuinâ cujusque vocis ambiguæ significatione divinandâ, verâque cujusque loci lectione assignandâ, præstare poterit. Certè si semel rem acu tetigerit, deciès fallet & à scopo aberrabit. Vel maximùm hinc nihil aliud expectandum, præter incertas hominum se nimium admirantium conjecturas, qui nova Biblia orbi terrarum, quasi *Minervam Jupiter*, è cerebro suo parturiunt. An verò doctrina tot ænigmata, tot verborum laqueos; tot incertitudines afferens ineluctabiles cùm textûs Biblici perspicuitate conciliari queat, ipsi viderint Novatores Antistigmatici! Major certè est Supremi Numinis bonitas & φιλανθρωπία, quàm ut sacras Scripturas, à quarum cognitione, tota salus pendet humana, istiusmodi charactere exarari curaret, qui lucis salutiferæ nihil, sed fumum & tenebras lectorum oculis offundat. Equidem

dem tutius duxi, & à læsæ majestatis crimine remotius, ut credam, sacros codices ab ineunte Θεοπνευστία punctis tum vocalibus tum accentualibus fuisse ornatos, quàm tantâ ruptos invidiâ, quantam dicere videatur *Stigmo-stereſis*. Quis enim nescit (si *Chameiri* verbis uti liceat) semper malè audîsse τὰς σκολιὰς, qui affectatâ obscuritate, auditorum lectorúmve attentioni illuderent? Hoc ipsissimum verò faciunt punctorum hostes, qui licèt aliquando ad scopum colliment (uti *Vchtmannus in Animadverſ.* quibus בחינת עולם illustravit, *pag.* 315.) Empiricorum instar, cum assequuntur per accidens & fortè fortunâ; magno tamen conatu nugas agunt. Nam punctatione abolitâ, ad angeli in pariete Scripturam *Dan.* 2. 10. 5. 5. alludentes, de totâ sacri codicis scripturâ dicamus, licet. דִּי לָא אִיתַי אֱנָשׁ דִּי כְתָבָא יְכִיל לְמִקְרָא *Hoc est.* Quod non est homo, qui scripturam possit legere. Ita ut nihil ab hominibus confingi potuerit, ad sacrarum literarum lucem offuscandam, ac perspicuitatem, quam illis Spiritus Sanctus indidit efficaciùs & detestabiliùs delendam, quam sententia *Eliana*; quo certè nomine dignissima est, quam omnes sanæ mentis Theologi damnent, explodántque.

CAPUT.

CAPUT VIII.

In quo puncta Hebraica literis esse coæva probatur, ex summâ, quâ sacrarum literarum Auctor pollet, sapientiâ.

(5.) QUintum nobis argumentum offert summa, quâ Deus sacrarum Scripturarum Author pollet, sapientia. Totam Scripturam esse θεόπνευστον, deúmque habere Auctorem, est primum inter Christianos omnes principium cognoscendi, idque extra omnem Controversiæ aleam positum. Quandoquidem igitur Deus εὐδοκία optimus, σοφία maximus sit revelationis in verbo suo ἐγγράφῳ factæ Auctor, illum pro infinita, quâ est, sapientiâ, non tantùm literis, sed & punctis Hebraicis, in voluntate sua consignanda usum fuisse, ipsa certè ratio, credamus, suadet. Sapientis enim est media ad finem ejus operis, quod suscepit, assequendum idonea ordinare, & ad eorum captum, quorum iis uti interest, prudentiùs accommodare. Hinc nemo unquam sapiens suam aliis voluntatem & animi sensa interpretaturus, istiusmodi uteretur scripturâ, quam nec legi, nec intelligi posse, novit; quanto minùs Deus חכם מכל חכמים (uti Auctor *Bechinath Olam cap.* 25.) hominum sapientissimis infinities sapientior? Nempe si literæ absque punctorum vocalium & accentuum notis consideratæ, media ad voluntatem Dei in scripto promulgandam fuerint

idonea, & in genere ſignorum ſufficientia, hoc certè, quicquid eſt, argumenti, nullum foret, ſed plane iſtiuſmodi, quod illudier facilè poſſet. Verùm enimverò Hebræorum literæ abſque punctorum vocalium & accentuum notis ſpectatæ, ex parte vocum ſingularum, præter *Homonymias*, ex parte vocum in orationis contextu coeuntium, præter *Amphibolias* nihil olim exhibuerunt, nihil ad hodiernum uſque diem exhibere queunt. Non ſatis igitur fuit ſapientiſſimo Numini, mirandum volubilis linguæ Organon Prophetarum ori inſeruiſſe, ad tremendos pariter ac ſuaves legum ſuarum ſonos effingendos & vivâ voce emodulandos, niſi unà (uti *Bangius Cæl. Orient. exercit.* 1.) manum voce velut animâſſet, & dextram linguæ, deterrimo ſucceſſu conſtituiſſet, vicariam; quod tamen per literas abſque punctorum ſignis in neſcio quas φωνὰς ἀνεκφωνήτους, καὶ λαλιὰς ἀλαλήτους compactas, fieri non potuiſſe, nos ſuprà ex parte demonſtravimus, infrà verò & pleniùs & planiùs demonſtrabimus.

Deum iccirco, qui hominibus facultatem λόγους ἐνδιαθέτους vivâ voce & φανερικῷ ſibi invicem interpretandi dedit, Prophetis omnibus, quos voluntati ſuæ in ſacris paginis deſcribendæ conſecrârat, manus non tantùm literatas, ſed etiam, pro infinita ſua ſapientia, punctuales dediſſe, veriſimile eſt. Si enim literis tantùm, non verò punctorum vocalium, & accentuum notis uſi fuiſſent Spiritûs Sancti Amanuenſes, revelatio voluntatis divinæ in ſacris Scripturis facta, minùs certè videtur perfecta & cæterorum Dei operum inſtar, omnibus ſuis numeris abſoluta, ſed *rudis*

potiùs

potiùs *indigeſtaque moles*, nullâ rerum diſtinctione, luce nullâ donata. Qui, opus tantâ confuſione, tot difficultatum carnificinis, tam horrendâ æquivocationum caligine laborans, dignum judicat, quod Deum Sapientiæ omnis fontem habeat Auctorem, & quo obſtetricante lex Dei prodeat conſignata, auſim dicere, illum & de Deo, & de lege divina aliquantulùm indigniùs, quàm noſtra patitur fides, cogitare! *Plinius de Urſorum fatibus lib.* 8. *cap.* 36. ſcribit, quod in lucem prodeuntes, ſunt candida informiſque caro, paulo muribus major, ſine pilo, ſine oculis, ungues tantum prominent; hanc lambendo paulatim figurant. Hujuſce Embryonis ſimilem fingunt, faciúntque ſacram Scripturam, qui, exaratam fuiſſe abſque punctatione Hebraica, volunt. Cogitent verò lectores pii, atque iterum cogitent, an ullatenus ſit credibile, iſtiuſmodi Embriones (literas intelligo Hebraicas) nullis vocalium oculis, nullis accentuum pilis ornatas, ſed tantùm difficultatum unguibus inſtructas, quibus animos nobis lecturientibus crudeliùs lancinare queant) è caſtiſſimo Divinæ Sapientiæ utero in auras emitti unquam potuiſſe: quos quidem Embryones, poſt mille annos, *Maſorethas Tiberienſes* benigniùs lambere oportuit, ut tandem figurarentur, & quam ſumma Dei ſapientia negârat, ex prudentia quorundam Rabbinorum, hiſce nudis puſionibus atque expoſititiis commiſerantium, debitam formam, ſpeciemque ſortirentur? Qui talia de ſcripturis ab ipſa Dei ſapientiâ profectis, fide digna judicare poteſt, auſim

ego pro illo ſpondere, abſurdiſſimum fidem ejus vix & ne vix quidem eſſe ſuperaturum. Polleat adhuc per me licet, fide iſtiuſmodi invincibili; ego cum *Flaccio Illyrico* idem planè ſentio, cujus verba ita ſe habent. Mea (inquit) eſt ſententia, vocales, ſeu ut vocant, puncta unà cum conſonantibus jam olim (fortaſſe adhuc ab ipſo *Adamo*) inventa, omneſque ſacrarum literarum Scriptores integrè dilucidéque ſcripſiſſe, non ſolum conſonantibus, ſed & vocalibus; eóſquè, qui contra ſentiunt, non ſolùm falſa ſentire, ſed & conſcientiis, Eccleſiæque, quæ tantùm certitudine verbi Dei ædificatur, perniciosa.

CAPUT IX.

In quo ex actuali punctorum exiſtentiâ perantiquâ, cui & exemplar Hillelianum, *& tota ferè* Maſora *fidem facit, ea literis fuiſſe coæva, arguitur.*

(6.) SExtum nobis præbet argumentum actualis punctorum exiſtentia, omnibus temporum articulis, quibus *Elias Levita* & aſſeclæ ejus ſequaces eorum ortum & inventionem adſcribunt, longe antiquior. Primordia punctorum, quibus nullum unquam inventum plus lucis ſacris paginis attulit, literatorum divortia mox in ipſo

ipſo quæſtionis veſtibulo obſcurârunt: gens præſertim *Eliana* pro ingenio ſuo multiformi, & lubrico, tam dubios punctationis aſſignârunt natales, ut eam veriùs dehoneſtârunt, quàm ornârunt. Nempe qui divinam punctorum originem ſuſceperunt ſuggillandam oppugnandâmque: ipſi in eorum ortu aſſignando minùs inter ſe conſpirant: hoc enim punctationis opus ſeculo, poſt Chriſtum natum, quinto abſolutum fuiſſe, aliqui ſtatuunt; ſexto alii; ſeptimo aut octavo *Morinus*; ut non ita multo antè obſervavit *Owenus. Theolog. lib.* 5. *digr.* 1. *pag.* 398. Sed ex *Maſora* & exemplari *Hilleliano*, puncta Hebraica extitiſſe ac textui ſacro inſerta fuiſſe multò ante ſeculorum iſtorum antiquiſſimum, quibus punctationis ortum adſcribunt *Elianiſtæ*, ſatis conſtat. Hoc argumento ego lubentiùs utor, quia *Voſſius* pro more ſuo, eò confidentiæ in punctatione Hebraicâ oppugnandâ proceſſit, ut huic aleæ totam auſus ſit committere hujuſce controverſiæ deciſionem. Hinc quaſi ante victoriam expectatos ducturus triumphos, glorioſè exclamat; Qui pro apicibus pugnant, vel unum in toto orbe oſtendant exemplar prædicto ſpacio, (i. e. ſex ſeculis) vetuſtius in quo puncta iſthæc compareant, & vincant. *Diſſert. de Sept. Interp. cap.* 36. *pag.* 97. (1.) Agamus igitur ex æquo & bono, & Hebræorum Archiva τὸν Θεῷ accuratiùs rimemur; ſi quod forſan exemplar punctatum expiſcari & proferre licet, quo os *Voſſio* æternùm obſtruatur, atque non nos, ſed Veritas, cui ſoli eliciendæ toti ſtudemus, vincat, agátque triumphos olim, quæ nunc indigniùs vapulat. Hic

verò exemplar *Hillelianum* suas præstabit partes; de quo, utpote & punctato, & non tantùm sex seculis, sed mille & ter centum annis vetustiori, Adversariis memoriam refricare oportet. Hoc exemplar, fuisse jam olim valdè antiquum, punctisque locupletatum, ex testimoniis fide dignis tam liquidò apparet, quàm quod testatissimum. בִּשְׁנַת תתקנו כ"ח לסנחם הַיְדָה שָׁטַר גָּרוֹל בְּסַלְכוּת לְיאוֹן וְאָן הוֹצִיאוּ מִשָּׁם סֵפֶר הָאַרְבָּעָה וְעֶשְׂרִים אֲשֶׁר נִקְרָא הַכִּיבְלִיא שֶׁכָּתַב אוֹתָם הִלֵּל וּמִשָּׁם הָיוּ מַגִּיהִים כָּל הַסְּפָרִים וַאֲנִי רְאִיתִי חֵלֶק מֵהֶם שֶׁנִּמְכְּרוּ בְּאַפְרִיקָא וּבְזְמַנִּי הָיָה מֵאוֹת שָׁנָה שֶׁנִּכְתְּבוּ: וְהַקְמְחִי אָמַר בְּחֵלֶק הַדִּקְדּוּק בְּפָסוּק לְכֵן הִזְכִּירוּ שֶׁהָחוּ מֵשׁ הַיְדָה בְּטוֹלִיטוֹלָא: *Hoc est.* Anno 984 fuit persecutio magna in regno *Leonis*, in qua eduxerunt inde librum viginti quatuor, qui vocatur *Biblia*, quæ scripsit *R. Hillel*; ex eo corrigebant omnes libros; & vidi ego partem ejus divenditam in *Africa*. Meo autem tempore fuerunt 900 anni, quod scripta fuerunt. Et *Kimchius* testatur in sua *Grammatica* Pentateuchum illius exemplaris fuisse *Toletolæ*. Hæc omnia ex libro *Juchasin fol.* 132; Auctor *R. Abraham Zachuth*, qui ante centum & septuaginta annos scripsit. Meminit hujus libri, *Elias Levit. tab. fract. Schickhard. Bechin. Happer. pag.* 51. *Cun. de Repub. Heb. pag.* 159. *Zemach David. pag.* 56. *Hotting. Thesaur. Philolog. pag.* 105. *Buxt. de punct. orig. pag.* 351. & deinceps, ubi testimoniis

moniis evicit gravissimis, perantiquum hoc Bibliorum exemplar *Hillelianum* fuisse punctatum. Hujusce enim exemplaris *R. David Kimchius in lib. Schoraschim in radice* שום, mentionem faciens, de voce חשומרו 2 *Sam.* 13. scribit.

וְהַמֵּם בְּסָנוּר שֶׁלֹּא כְּסַנְהֵג וְהוּא כְּמוֹ בְּפַתַח:

וּבְסֵפֶר חֲלָאלִי אֲשֶׁר בְּשׁוּלִיטוֹלָא הוּא בְּפַתַח:

Hoc est. Mem est cum *Segol* præter morem, & est loco *Pathach*. Et in libro *Hellelliano*, qui est *Toletolæ*, notatum est cum *Pathach*. Meminit hujus exemplaris *Hilleliani* in punctationis negotio, etiam *Mercerus proverb.* 24. 14. ad vocem רְעֵה. In Manuscripto, inquit, per *Tseri* scribitur; sed ad marginem notatur, in *Hillelis*, per *Segol* scribi. *Hillelianum* hoc exemplar punctis fuisse instructum, nos quoque certiores facit *R. Moses Bar Nachman in Comment.* super librum *Jetsirah. fol.* 61. Ille enim (qui quidem vixit sub annum Christi 1200) scribit; in tribus hisce literis Gutturalibus ה, ח, ע, nullibi reperitur *Dagesch*, in universa scriptura, prout deprehendimus accuratâ perqusitione & perlustratione, in omnibus libris *Babyloniæ*, & *Hierosolymæ*, neque etiam in libro *Hilleliano*: sed in *Aleph* invenimus *Dagesch* in tribus locis; *Levit.* 23. 17. *Gen.* 43. 26. & *Esræ* 8. 18. in quibus locis *Aleph* est cum *Dagesch*; (וְכֵן זֶה נוֹרָא תִּשְׁעִים בְּסוֹד הַקַּבָּלָה) quorum omnium ratio nota est in *arcanis Cabbalæ*. In hujusce Auctoris temporibus, non tanùm librum *Hillelianum* punctis fuisse donatum, sed etiam libros Babylonicos, & Hierosolymitanos, illis fuisse instructos, planè constat: imò & ita se habu.sse

buisse seculo, post Christum natum, tertio; quod, quæ *R. Moses Bar Nachman* subdit, demonstrant. וְכָבָר חִבֵּר עַל־זֶה הַסֵּדֶר סֵפֶר הַנִּיקּוּד הַגָּדוֹל אֲשֶׁר חִבְּרוּ רַב אַשִּׁי בְּבָבֶל וְהוּא נִמְצָא הַיּוֹם בֵּישִׁיבָתֵנוּ: *Hoc est.* Et de hisce *Arcanis* compositus est liber punctationis magnus, quem composuit *R. Asse* in Babylonia; qui & hodie reperitur in Academia nostra. Locum hunc non esse oscitanter prætereundum, dicit *Buxtorfius.* Quia ex eo colligitur, libros illos Babylonicos, Hierosolymitanos, & *Hillelianum*, punctatos fuisse; rationem Anomalarum & insolentium punctationum tradi in *Cabbala*: de hisce punctationis Mysteriis compositum esse librum antiquum à *R. Asse* in Babylonia circa annum Christi 360; sub id enim tempus vixit *Raf Asse. Buxt. de punct. Orig. pag.* 55. *Alsted. Thesaur. Chronolog. pag.* 437. Sed de Antiquis Bibliorum exemplaribus punctatis, præsertim *Hilleliano* abunde testimoniorum audivimus: quis verò *Hillel*, cùm plures hoc tulerint nomen, operis tam accurati & admiratione digni, Auctor sit, paucis dicam, oportet. Existimant aliqui deberi hoc diligentiæ specimen, *Hilleli* Babylonio, qui centum circiter annis ante templi secundi destructionem floruit. Sic *Cun. de Repub. Heb. pag.* 159. & *Schickh. de jure regio. pag.* 39. Alii verò æstimant fuisse alterum illum *Hillelem*, הַנָּשִׂיא, seu principem, qui in Judæa anno 340. aut præter propter celebris fuerit. Sic *Zemach David. pag.* 56. *Buxt. de punct. Orig. pag.* 352. Nostrâ certè haud magni refert, hunc *Hilleli Hannasi*, an Seniori exemplar hoc punctatum

punctatum adscriptum fuerit; utrum horum malunt, sacripiant *Elianistæ*: constat enim ambos hosce *Hilleles* tam canæ & venerandæ antiquitatis fuisse, ut illis, temporis ratione, *Masorethæ Tiberienses* post-*Talmudici* sint multò inferiores. Hoc igitur *Hillelis* exemplar, cuicunque tandem adscribatur, à *Vossio* ex vi legis à se latæ, ad victoriam reportandam solum sufficit: toti verò causæ *Capellianæ*, exitio est, quippe necessario evincit, puncta Hebraica, non tantùm post quingentos à Christo nato annos inventa fuisse, (quod in isto, cui titulum fecit Arcanum punctationis revelatum, opere, vult *Capellus*) sed multò ante extitisse sacro Codici inserta. Quid hîc regerit Doct. *Capellus*? quibus machinis ab hujusce exemplaris opprobrio, quo ipsum & Arcanum suum palam afficit, se liberat, vindicátque? Num secum præsagîerat, hoc periculi sibi, & isti, quam susceperat patrocinandam, sententiæ impendere? Illum præsagîsse fateor, sed non optimè prospexisse, dum se ad stultorum Asylum, conjecturas nempe inanes, & tantùm per possibile factas, totus receperit! Nam hujusce exemplaris *Hilleliani* pondere supra vires oppressus, & ad ne plus ultra redactus, tandem exclamat hæsitabundus. Quidni potuerit descriptum esse illud volumen, ab aliquo *Hillele* post 500 Christi annum? quidni possit falsus esse Voluminis illius titulus, in quo *Hillel* narratur, fuisse ejus descriptor? quidni aliquis ementitum titulum illi affinxerit? Potuit fortè volumen illud descriptum esse à magno *Hillele* quoad consonas, non autem quoad puncta vocalia, & accentualia! *L. Capel.*

Capel. Arcan. punct. lib. 2. cap. 13. pag. 242. Hæc ſunt arma, hæ machinæ bellicæ, hæc tactica ſacra, quibus ſuæ ſententiæ *Acropolin*, contra omnes, qui illam exemplaris hujuſce vi arietare ſatagunt, propugnandam duxit *Capellus*. Sed *Capelli* fortè, à quo tota ſuæ ſententiæ ſalus pendet, ſolvitur per fortè non : tum verò hujuſce argumenti ab exemplari *Hilleliano* deſumpti vim demum effugiet, cùm poſſibilia ut ſic Topica, & Topica evadunt Apodictica ! Ne autem *Eliani* ægrè ferant, quod *Capelli* Conjecturas lepidaſque ſuſpiciunculas per poſſibile factas, oraculis minùs annumeravimus, hoc ſciant oportet, nos exemplaris punctati authoritatem, & Auctoris antiquitatem *Maſorethis Tiberienſibus* ſuperiorem, teſtimoniis omni conjecturâ gravioribus dediſſe comprobatam. Quod ſi verò iſtiuſmodi conjecturas tot & tanta enervare teſtimonia, poſſe putamus, certè de cunctis Antiquitatis Monumentis conclamatum ſit, oportet.

(2.) Sed hoc *Hillelis* exemplari punctato valere juſſo, *Maſoram* adeamus, quæ punctorum vocalium & accentuum ſæpiùs meminit. Quid ſit *Maſora*, & quod multò ante Talmud confectum extiterit, nos ſuprà *cap. 3. §. 3.* ex *Buxtorfii Tiberiade* oſtendimus. Bona hujuſce *Maſoræ* pars, non tantùm ex literis ſæpiùs vel rariùs occurrentibus, nec tantùm ex vocibus plenè vel defectivè ſcriptis, ſed ex obſervationibus circa puncta vocalia & accentus inſtitutis, conflata eſt. *Maſora* enim formas punctorum Anomalas recenſet quàm plurimas, eaſque ſartas tectas, virgulâ cenſoriâ appoſitâ, conſervare ſatagit. Rem verò

verò Maſorethicam ita ſe habere, pauculæ, quas ex denſiſſima ſylva, nos parcâ manu excerpſimus, evincunt inſtantiæ.

Gen. 1. 10. occurrit לְיַבָּשָׁה. ubi *Maſora* notat. לְ וְחַד לְ. non invenitur ſæpius cum *Pathach* ſub *Lamedh*: & unum eſt cum *Scheva* ſub *Lamedh*.

Et ejuſdem capitis *ver.* 11. חֲדָשָׁא. non extat amplius, & eſt cum *Metheg*.

Verſ. (ejuſd. *cap.*) 22. בַּיָּמִים. *Maſora* notat. quinque ſunt *Dageſchata*.

Gen. 30. 19. בֶּן שִׁשִּׁי *Maſora* notat.

כָּל־בֵּן הַמּוּקָף פָּתַח בְּמַ״ר: Omne *Ben* ante *Makkaph* habet *Pathach* (parvum, ſcilicet *Segol*) exceptis quatuor.

Exod. 2. 11. ad vocem מִצְרִי notatur; הֵ פָּתַח; quinque ſunt cum *Pathach*.

Exod. 32. 6. לְצַחֵק notat *Maſora*; non reperitur ampliùs cum *Ségol* & accentu.

Deut. 18. 17. אֱלֹהָי; nota de hac voce eſt; octo ſunt cum *Kamets*, & ſic quoque cum *Athnach* & *Soph-Paſuk*, exceptis duobus.

Pſal. 128. 3. אֶשְׁתְּךָ; de qua voce *Maſorethæ* notârunt; non extat ampliùs cum *Segol*.

Jer. 17. 17. תְּחִיתִי cum *Tſeri*; ſed notant *Maſorethæ*, quod non eſt ampliùs cum *Tſeri*.

Sed manum de tabula; pudet enim pigétque hiſce immorari tranſcribendis: *Maſoram* conſulentibus talia mille occurrent; quæ *Elianiſtis* relinquimus, cùm ingenii altercantis æſtus deferbuerit, utiliùs penſitanda. Nos interim argumento conficiendo incumbimus, quod vel facili negotio,

negotio ex hiſce & hujuſmodi exemplis è *Maſora* petitis elicere fas eſt. Qui enim notas de Anomalâ vocum quarundam punctatione textui ſacro adjecerunt Maſorethicas, ipſi nequaquam punctorum inventores ſunt habendi, ſed eorum tantùm *Hyperaſpiſtæ* & conſervatores. Quævis expoſitio textum præſupponit exponendum. Sic omnes notæ à *Maſorethis* circa puncta vocalia & accentus factæ, horum certè punctorum præexiſtentiam poſtulant: perinde atque notæ quas de literis & vocibus appoſuerunt *Maſorethæ*, iſtarum literarum & vocum omnium præexiſtentiam evincunt comprobantque. Imò, (ſi *Buxtorfio* ſeniori fides ulla ſit adhibenda) univerſa *Maſoræ* in hunc Scopum collimat, non fuiſſe eoſdem ſimul & vocalium accentuúmque inventores, & *Maſoræ* Auctores, ſed *Maſorethas* de punctis vocalibus & accentibus jam anteà inventis, & ad libros adſcriptis, per appoſitas notas, cenſuram & judicium tuliſſe. *Buxt. Tiber. cap.* 9. *pag.* 72. Sic *Alſtedius Theſaur. Chronolog. cap.* 28. *pag.* 267. *Maſorethæ* (inquit) ſunt Authores *Maſoræ*, non verò punctationis. Nam illi vocibus 848 circiter, quas invenerunt ab aliis Anomalõs punctatas addiderunt in margine virgulam cenſoriam. Sanè, ſi puncta inveniſſent, nihil opus fuiſſet marginales lectiones adjicere. Sic Cl. *Hottingerus Theſaur. Philolog. lib.* 1. *cap.* 3. *pag.* 402. Reſtauratores (inquit) & vindices punctationis aſſerimus *Tiberienſes Maſorethas* qui nova puncta non addiderunt, ſed ut ne alia à prioribus diverſa adderentur, diligenter cuſtodiverunt. Sic & Doct. *Gerhardus*, *loc. com.* 1. *cap.* 15. *pag.* 135. *Maſoræ* (inquit) Authores judicium

um de punctis tanquam jam antè in textu ſacro extantibus, ut ex inſpectione operis *Maſorethe-ſi* manifeſtum. Utique ergo ipſi punctorum, diſtinctionum, & accentuum in codice ſacro non fuerunt Authores. Qui quidem fuerint *Maſorethæ*, vocibus anomalis punctatis notas ſuas adjicientes, non eadem omnium eſt ſententia. Quidam hujuſce *Maſoræ* Originem ab ipſo beato *Moſe* arceſſunt. Alii nonnihil recedunt, & *Maſoræ* hujuſce originem *Eſræ* & Synagogæ magnæ viris tribuunt; quod Hebræorum plerique faciunt. Alii *Maſorethas Tiberienſes*, aliquot poſt Chriſtum natum ſeculis viventes, Auctores *Maſoræ* faciunt. Alii denique quorum mos eſt in omnibus ſcilicet obſcuris & ignotis, quorum tempus, quo operis hujuſce primas lineas duxerunt, quóque opus inchoatum ad metam uſque perduxerunt, aſſignari non poteſt, prudenter adſcribunt. Quippe conceſſâ hujuſce *Maſoræ* partis antiquitate, ut fabula, de poſt-Talmudica punctorum novitate facta, explodatur, oportet. Hoc enim res ipſa clamat; (confitente Cl. *Waltono Prolegom.* 8. §. 12.) cum notæ circa voces irregulariter punctatas, & de earum numero, neceſſario ſupponunt punctationem multo antè factam. Nos verò iſtiuſmodi diſputatorum evaſiunculas non moramur, qui affectibus ſuum mancipientes judicium, eò genuinum hujuſce *Maſoræ* partis antiquitatem negârunt, non quòd veritati adverſatur, ſed quod precariæ eorum opini-

oni

oni de poſt-Talmudica punctorum inventione conceptæ, miris modis incommodat, eamque funditus evertit. Qui enim neque *Moſi*, neque viris Synagogæ Magnæ, neque Maſorethis Ante-Talmudicis hujuſce *Maſoræ* partis, quæ voces anomalas punctatas virgulâ cenſoriâ notavit, originem adſcribunt, ſed ad neſcio quos homunciones poſt-Talmudicos referunt, rationem facti quærentibus, ipſi, ſi volunt ἀλληθεύειν, ut reſpondeant, oportet, ſe hac ſolâ ratione adductos, hujuſce *Maſoræ* partis novitatem fingere, ne genuinam punctorum antiquitatem, quam labefactatam ex animo vellent, concedere tandem cogerentur inviti. Hoſce igitur miſſos facio; & cum bona cæterorum aliter ſentientium venia, ex punctorum inventione, quæ in *Maſora* ſæpius occurrit Ante-Talmudica, ipſam punctationem, ſi non literis coævam, ſaltem Talmude, & Maſorethis Ante-Talmudicis, eſſe multo antiquiorem concludo.

(3.) Ante-Talmudicæ punctorum exiſtentiæ, præter exemplaria antiqua punctis donata, & notas Maſorethicas, teſtimonio eſt iſta, quam punctorum Hebraicorum in ſcriptis ſuis patrum aliqui antiquorum manifeſtis indiciis produnt notitia. Quomodo enim ſcire poterant patres iſti antiqui puncta vocalia & accentus, ſi nulla tunc temporis in uſu, aut in Bibliorum paginis fuerunt? Non entis nulla eſſe Accidentia, nullam cognitionem, omnes nôrunt. Videamus igitur, quiſnam ex patribus antiquis, punctorum fecerit mentionem? Hîc *Hieronymi* & *Origenis* ſcripta ruſpari nolo; quia teſtimoniorum, quæ in illis oc-

occurrunt, proferendorum occaſio infrà dabitur: uno igitur *Clemente Alexandrino* impræſentiarum contentus, verba ejus in rem meam maximè facientia, hîc propriâ dialecto adducenda eſſe putavi. Ea verò, ne neſciat *Anagnoſtes* candidus, *Stromat. lib.* 3. *pag.* 322. occurrunt, itáque ſe habent. Οὗτοί εἰσιν οἱ καλὰ τὰ ἀναγνώσεις, φωνῆς τόνῳ διαστρέφοντες τὰς γραφὰς πρὸς τὰς ἰδίας ἡδονάς· Καὶ τίνων παρασκευῶν ἢ σχημῶν μεταθέσει, τὰ παραγεγραμμένα σωφρόνως τε καὶ συμφερόντως, διαζόμενοι πρὸς ἡδυπαθείας τὰς ἑαυτῶν. *Hoc eſt.* Ii ſunt qui in legendo, tono vocis pervertunt Scripturas ad proprias voluptates. Et aliquorum accentuum & punctorum tranſpoſitione, quæ moderatè, & utiliter præcepta ſunt, ad ſuas trahunt delicias. Hoc *Clementis* teſtimonium ad omnia *Elianiſtarum* Κερκούσια expugnanda ſolum ſufficit. Sed ne vires, quæ huic inſunt teſtimonio, inexpugnabiles, Lectorem lateant, ille de hiſce, quæ ſubduntur, momentis admonendus eſt.

(1.) De ſeculo, quo *Clemens* hujuſce teſtimonii Auctor vixit; ubi eadem ferè omnium eſt Chronologorum ſententia. In confeſſo enim eſt, *Clementem Alexandriæ* Presbyterum, eſſe quartum inter Græcos Eccleſiæ Doctores, eumque circa annum à Chriſto nato ducentiſſimum floruiſſe; annis ante confectum Talmud ter centum, plus minus. *Alſted. Chron. cap.* 43. *Dan. Heinſ. Præfat.* quam *Clementis* operibus præfixit.

(2.) De occaſione hujuſce, quod adduximus, teſtimonii, quæ ita ſe habet. Doctor hic paucis antiquitate, eruditione nemini ſecundus, perſtringens Hæreticos quoſdam, quos Antitactas vocat,

vocat, *Mal. cap.* 3. *ver.* 15. vindicias, neceſſe habuit, inſtituere; quippe iſto Scripturæ loco, ipſi abuſi fuerunt ad Hæreſin ſuam longè peſſimam, ſtabiliendam. De hoc igitur textûs Hebraici loco (quod bene notandum) multis ultrò citróque dictis tandem, quæ prætulimus, ſubjungit verba.

(3.) De criminibus, quorum, verbis jam allatis, Hæreticos inſimulat; ea verò ſunt duorum generum; alterum in Proſodiam peccans, in Orthographiam alterum. Dicit enim Hæreticos tono vocis Scripturas pervertere; dum voces quaſlibet non rectè, ſed perperam pronunciare aſſueſcunt. Atque inſuper queritur, illos præceptis divinis vim inferre, dum puncta & accentus (non tonicos, quorum, clauſulâ præcedenti, Hæreticos accuſaverat, ſed Grammaticos, ſeu ſententias in membra diſtinguentes intelligit) pro ea, quâ ſunt petulantia, tranſponunt, unum pro alio audaciùs ſubſtituentes. Rem verò ità ſe habere, Paragraphum, ex quo verba jam allata excerpſimus, legenti facilè, & ἀναλλήπτως innoteſcat.

(4.) De genuina vocis ſignificatione, quâ *Clemens*, ad puncta textûs Hebraici vocalia deſignanda, uſus eſt; ea verò iſtiuſmodi eſt, quæ non nudis vocalium ſonis, & poteſtatibus accommodari poſſit. Quippe vox, in textu *Clementis* originali, eſt σιγμὴ ἀπὸ τῦ σίζειν oriunda: quæ quidem vox propriè notas vocalium & figuras impreſſas hîc, & alibi ſignificat. Hoc uſque adeo manifeſtum, ut ipſe *Capellus* punctorum hoſtis iniquiſſimus, hanc vocem, σιγμὴν ſignificare vocalium figuras, faſſus eſt. *Arcan. Punct. lib. cap.* 14. *pag.* 244.

244. Hic igitur pedem figamus; licet; hîc triumphos de *Elianiſtis*, quotquot ſunt, omnibus genuina punctorum antiquitas jure optimo agat; atque in poſterum ſemper ſit actura. Si enim puncta, ſcribente *Alexandrino*, jam extiterunt, quod ex verbis ſuprà allatis,& hucuſque enucleatis, Sole Meridiano clarius apparet; tum fieri certè non poteſt, ut punctorum inventio ſit à Rabbinis poſt-Talmudicis,poſt-Hieronymianis,profecta. Hic proin non mirari non poſſum, quod teſtimonium hoc è *Clementis* textu defumptum, tot & tantos viros, qui cum *Elianiſtis* ſerram toties reciprocârunt, huc uſque latuerit; majores certè Deo εὐδοκίᾳ optimo, δυνάμει maximo debemus gratias, quód veritatis Hebraicæ Hyperaſpiſtarum minimo, hoc tandem ſuggeſſit argumentum, ſuggeſtoque benedixit, ut in *Elianiſtarum* de poſt-Talmudica punctorum inventione, fabulæ gratis confictæ, ſæpiúſque fruſtra incruſtatæ ſubverſionem, efficaciſſimè ſit ceſſurum. Congerant enim, quot & quanta placet, argumenta *Elianiſtæ*, hoc ſolum argumentum illis omnibus in fumum & nihil diſſipandis eſt. Si qui igitur in punctationem Hebraicam poſthac hiſcere perrexerint, illos omnes *Alexandriam* dimiſſos volo caſtigandos. Hoc enim uno è *Clemente* petito teſtimonio victi ἀφύκτως collabaſcant, oportet.

Sed objiciat forſan hic quiſpiam, quod vir quidam πολυμαθέστατος & nunquam ſine debita honoris præfatione nominandus, mihi de *Clementis* authoritate verba facienti, coràm ſuggeſſit, *Clementem* ſcilicet non textum Hebræum, ſed τῶν Septuaginta in criminatione in hæreticos, quos vocat Antitactas illatâ, reſpexiſſe. G *Re-*

Reſpond. Minùs eſſe veriſimile, *Clementem*, nullâ textus Hebraici ratione habitâ, Græcum tantùm τῶν 70 textum hic ſpectâſſe.

(1.) Quia illum aliqualem linguæ Hebraicæ peritiam habuiſſe conſtat. Qui animi pendet *Clementem* Scripturis Hebraicis primas deferentem, *Strom. lib.* 1. *pag.* 231; vocis *Adonai* mentionem facientem, *Strom. lib.* 2. *pag.* 307; Acclamationis iſtius, *Euia*, *Euia*, quâ *Mænades Bacchi Orgia* celebrantes utebantur, rationem reddentem; ubi Linguæ Hebraicæ, ex illaque oriundæ Chaldaicæ, peritiam non contemnendam hiſce prodit, verbis. Ἀνίσκα γοῦν καὶ τῷ ἀναιζῶ τῶν Ἑβραίων φωνὴν, τὸ ὄνομα τὸ Εὐϊὰ διασυνόμενον, ἑρμηνεύεται ὄρεις ἀνδήλασα. Admonit. ad Gentes. *pag.* 7. & de genuina τῷ *Abram* ſignificatione diſſerentem, *Strom. lib.* 5. *pag* 400; conſulat. Sin demus *Clementem* linguæ Hebraicæ rudem fuiſſe, ex multis tamen audire licuit, textum Hebræum diverſimodè legi potuiſſe, pro diverſâ vocalium & accentuum additione vel tranſpoſitione; uti Doct. *Waltonus* caſu haud abſimili *Proleg.* 3. §. 47. contendit.

(2.) Quia *Clemens* in allegationibus ex veteri Teſtamento petitis, nec hîc, nec alibi per omnia τῶν 70 interpretationem ſequitur, ſed ſæpius nullâ hujuſce verſionis habitâ ratione ad textum Hebræum propiùs accedit. Veriſimile proin eſt, iſtum textum *Clementem* hic reſpexiſſe, quem relicto τῶν 70 textu, toties eſt ſecutus.

(3.) Quia non tantùm accentuum, ſed & punctorum ab iis diverſorum meminit *Clemens*.

Τινῶν

τινῶν προσῳδιῶν καὶ στιγμῶν μεταθείς, inquit ille. Quænam verò fuerint puncta ista ab accentuum notis distincta, quibus tunc temporis τῶν 70 textus gaudebat, me latere, lubens fateor.

(4.) Quia suas accentuum notas lingua Græca (ut aliqui volunt) nondum obtinuerat. In hac sententia fuit, quicum ferram reciproco, Clar. *Walt.* qui instantiis undique petitis, linguam Græcam suis accentuum notis olim carnisse contendit. *Proleg.* 3. §. 45. Sic & *Ludovicus Capellus*; qui dicit, certissimum esse, longè post *Masoretharum Tiberiensium* seculum, excogitatas fuisse primùm Græcorum spirituum & accentuum figuras; id est post annos à *Clemente* nato ducentos. Insuper contendit *Capellus*, punctorum Hebraicorum primos inventores excitâsse, & veluti manu duxisse Græcos Grammaticos, in spirituum, periodorum, colorum, commatum & cæterorum notulis excogitandis. *Arcan. punct. lib.* 2. *cap.* 16. Suffragantur *Vossius*, *Scaliger*, & *Morinus*. Premit igitur hæc consideratio hosce, & cæteros omnes qui Græcorum accentuum novitatem susceperunt patrocinandam. Vel enim novum inventum sunt Græcorum spirituum & accentuum notæ, vel non. Si non, discant posthac Adversarii, à fictitiâ Græcorum & spirituum & signorum novitate, ad punctorum Hebraicorum novitatem, non argumentari. Sin novum fuerint inventum; fateantur oportet se *Clementis* testimonio suprà allato, opprimi, & in æternum expugnari. Utrum horum malunt, per me licet, accipiant *Eliani*.

CAPUT X.

In quo, ex divina ista, quæ inter hodiernam veteris Testamenti lectionem & testimonia ex eo per Christum & Apostolos in novum traducta intercedit harmonia, venerabilis punctorum adstruitur antiquitas.

(7.) SEptimum nobis argumentum suppeditat, hodiernæ Lectionis ex punctis Hebraicis ortæ, authoritas. Lectionem hanc summo venerabundi animi affectu Ecclesia *Anglicana*, *Gallicana* etiam, *Belgica*, & omnes plerique Ecclesiarum omnium Catholicarum Theologi saniores amplectantur; imò & in peculiis habent; si ex praxi de fide & animi devotione judicare fas sit. Quænam ex hisce Ecclesiis, vel quis ex Ecclesiarum harum Theologis, erasis Bibliorum punctis, atque lectione inde oriundâ reprobatâ, novam iverit Lectionem expiscatum ab hodierna textûs punctati Lectione diversam? Vel duo, vel nemo! Quod cùm ita sit, hasce Ecclesias, Theologosque, hodiernam lectionem ex punctis Hebraicis ortam, non ingenii, & arbitrii Rabbinici affectum, sed Spiritûs Sancti opus Authenticum judicâsse, charitatis religio, credamus, jubet. Quos contraria tenet sententia, cogitent oro, quantâ injuriâ Ecclesias pleraſque omnes reformatas afficiunt, quantis probris eas onerant & proscindunt! Quis enim Ecclesias istas unquam dixerit fideles,

fideles, quæ Bibliorum lectionem, ex qua omnia fidei momenta eliciunt ſtabiliuntque, ad quam conciones omnes ad populum habitæ, conformes ut ſint, curant à quâ deinque tota, quam vulgus Chriſtianorum habet, rerum divinarum ſcientia pendet, Rabbinis quibuſdam ineptis, ſuperſtitioſis, juratiſque Chriſti hoſtibus, acceptam ferant? Sed hodiernæ Lectionis authoritatem aſſerere auſi fuimus, majori, quàm Eccleſiarum omnium, omniumque Theologorum, authoritate freti, domini ſcilicet noſtri, & Apoſtolorum; qui ab eo Scripturarum ſenſu, quem lectio hodierna ex punctatione Hebraica orta ſuppeditat, in cunctis allegationibus, ac citationibus ex veteri inſtrumento in novum traductis, ne latum crinem recedunt, ſed eundem prorſus, licèt verbis aliquando mutatis, proferunt, atque ſartum tectum ubique ſervant. Quando enim loca non citantur κατὰ τὸ ῥητὸν, quoad verba, tum præcipuè κατὰ τὴν διάνοιαν, ſecundum ſenſum, & Spiritûs Sancti ſcopum adducuntur. Hinc veteris & novi Teſtamenti δὶς διὰ πασῶν ἁρμονία; quâ fit, ut quæ ſenſum in veteri Teſtamento habent punctis determinatum, eundem prorſus obtinent in Novo; quod ſuppoſitâ punctorum *Capellianâ* novitate, vix & ne vix fieri potuit, niſi *Maſorethas Tiberienſes* punctationem ſuam ad Spiritus Sancti in Novo Teſtamento loquentis mentem deditâ operâ accommodâſſe, fingamus; quod quidem figmentorum omnium eſſet primogenitum. Quædam, fateor, in verbis ſubinde apparet διαφωνία, quæ τὸ εὐαγγελιοφανὲς apud ſacri Codicis conciliatores, audit: ſemper tamen veteris punctati

cum novo inſtrumento, in ſenſu, maxima ſtat συμφωνία. Inſtantiam unam in contrarium, quæ ullius ſit ponderis, in æternum proferre nequeunt Adverſarii, licèt in id negotii, nervos intenderent omnes. Non quidem hujuſce eſt inſtituti omnia veteris punctati, & novi Teſtamenti loca, ſpecie tenus, pugnantia conciliare; ea enim res altioris eſt indaginis, & juſtum tractatum per ſe requirit. Quæ verò inſuper literas, voces, & integra ſacri textûs commata attingunt, non opus eſt illis ulteriori Irenico; ipſa olim ſuos habuerunt & etiam nunc habent Conciliatores, eoſque longè Majores, quàm quibus aſtutiſſimum Pontificiorum ingenium, multò minús unius *Voſſii* vel doctiſſimos quoſvis præ ſe deſpicatui habentis confidentia, ſit refellendis. Conſulat Lector qui iſtiuſmodi Conſiliatores volet, *Jun. Parall. Scharp. Sym. Glaſ. Philol. Sac. Altham. Cent. Hotting. Theſaur. Phil. Amam. Antibar. Bibl.* & *Arabiciſſimi* D. D. *Pocockii Miſcel.* Ego interim eò, unde mea digreſſa eſt oratio revertar; atque ex ſenſûs identitate, quam loca, quæ Chriſtus & Apoſtoli è veteri teſtamento in novum traduxerunt, cum ſenſu ex hodierna punctatione oriundo habent, inferre licebit, lectionem veteris Teſtamenti hodiernam eſſe Authenticam, atque ideó puncta Hebraica à quibus lectio iſta tota pendet, eſſe à viris θεοπνεύσοις profecta, contextuique ſacro coæva. Hîc nihil certè in contrarium obtendi queat, niſi forſan ineptientes fingamus hanc Vet. & Nov. Teſtam. harmoniam vel è fœliciori aliquo caſu profectam eſſe, quod nemo, opinor, hominum finget, præter

mente

mente captum ; vel ex orali traditione ſecundum Catenam Cabaliſticam continuatâ, quam tantæ concordiæ generandæ planè inſufficientem infra demonſtrabimus ; vel denique ex honeſta quadam collatione vetus inter & novum Teſtamentum à Rabbinis *Tiberienſibus* factâ, quâ nihil magis ridiculum, nihil à Rabbinorum genio & ingenio magis abhorrens fingi poteſt. Quis enim induci poteſt ut credat, Rabbinos *Tiberienſes*, natione Judæos, profeſſione juratos Chriſti Chriſtianorumque omnium hoſtes, ut tota eorum punctatio Novo Teſtamento eſſet per omnia conformis, curaſſe ? vel puncta ſua de induſtria ita textui ſacro coaptâſſe, ut eundem prorſus ſenſum, cum eo, quem Chriſti & Apoſtolorum citationes in novo exhibent Teſtamento, funderent ? Certo certiùs, iſta, quam omnes ſanæ fidei agnoſcunt Theologi, inter vetus & novum Teſtamentum harmonia, non à cæcutiente quodam caſu, non ab incohærenti Rabbinorum Catena Cabaliſticâ, nedum à collatione Rabbinica veteris teſtamenti jam punctandi & Novi à *Maſorethis Tiberienſibus*, ne à mente Chriſti & Apoſtolorum recederent curantibus, facta ; ſed tota ab antiqua, & literis coæva, punctatione Hebraicâ eſt profecta. Hanc igitur punctationem ejuſdem planè cum literis originis eſſe ſtatuimus, quia eam, ſi non verbo tenus, tamen quoad ſenſum, & Chriſtus & Apoſtoli ſemper ſunt ſecuti.

CAPUT XI.

In quo, ex notis τῶν Keri & Chethibh, *seu variis, quas* Masorethæ *notârunt, lectionibus, argumentum ducitur pro punctorum Antiquitate.*

(8.) ARgumentum non contemnendum suppeditat lectio Marginalis, *Keri* vulgò dicta, cujus bona pars ex punctatione anomala, Scriptioni Textuali *Chethibh* dictæ suffixa, est oriunda. Notius est, quàm ut ullâ indigeat explicatione, plurimas in sacro codice voces occurrere circello notatas, quæ aliter leguntur, quàm in ipso textu scribuntur. Vox legenda in Margine, vox verò quam corrigendam duxerunt *Masorethæ*, in textu locum obtinet. Quæ voci Textuali subduntur puncta, istius vocis respectu admodum sunt anomala: sed vocis Marginalis respectu, cum hisce punctis ex *Masoretharum* judicio legendæ, sunt satis regularia, & Analogiæ Grammaticæ per omnia respondent. Sic v. g. *Isa.* 36. 12. vox חֹרְאֵיהֶם in textu Biblico occurrit ἀνωμαλῶς quidem punctata: in margine verò notatur pro hac voce legendum צוֹאֵיהֶם; quâ factâ emendatione, tota punctationis anomalia tollitur. Hujusmodi variæ Lectiones juxta *Eliæ Levitæ* calculum 848 vocibus Symbolicis קְרִיין וְכְתִיב comprehensæ, in Bibliis sacris 65 in lege, 454 in Prophetis, 329 in Hagiographis,

phis, occurrunt: quarum vox Textualis punctatione valdè irregulari & inusitatâ aliquando afficitur; tota verò tollitur Anomalia, si cum eadem punctatione, quæ voci adscribitur Textuali, vox Marginalis legatur. Rationem harum diversitatum multi quidem investigârunt, pauci verò eam habent compertam.

(1.) *Talmudici*, & qui hos sequuntur, statuunt esse הֲלָכָה לְמֹשֶׁה מִסִּינַי traditionem *Mosis* de Monte *Sinai*; qui hunc scribendi modum ad aliquid Mysterii vel insinuandum, vel occultandum, primus docuit.

(2.) Alii humanâ authoritate, post excessum demum *Esræ*, varietatem hanc introductam esse volunt, atque ex codicum diversorum diversâ lectione, & multiplici exemplarium corruptione, esse oriundam.

(3.) Alii verò medio tutissimi eunt, statuuntque notas hasce Marginales esse quidem ab *Esra* & viris Synagogæ Magnæ; verùm non ut varias lectiones ex diversis exemplaribus temporis injuriâ & scribarum incuriâ vitiatis: sed partim ut expositiones, partim etiam ut emendationes & correctiones, ab ipsis, variis de causis, additas. Ego non sum is, qui in tanto sententiarum divortio, me ausim interponere *Palæmona*; mediam verò extremis præfero sententiam, dummodo ea sano sensu intelligatur. Præter varias lectiones vel Religionis, vel forsan Euphemismi & verecundiæ causâ factas; plurimas Analogiæ ergô & ad punctationem vocum quarundam anomalam corrigendam, tollendamque adjectas esse, ego contendo. Rem ita se habere, Lectiones variæ demonstrant

demonſtrant quàm plurimæ, quæ nullam aliam cenſuram, emendationem nullam in ſe habent, præter illam ſolam, quæ anomalæ vocum punctationi ac irregulari corrigendæ tollendæque ſubſervit. Sic v. g. *Gen.* 8. 17. pro הַוְצֵא notant *Maſorethæ*, legendum eſſe הֹוצֵא. Hujuſce diverſæ lectionis nulla planè ratio reddi poteſt, præter ſolam punctationem Anomalam, quâ Imperativum הַוְצֵא mutantem *Iodh Schevandum* in *Vav* mobile, ſeu cum *Pathach* in *Aphel* juxta Syriacam dialectum diphthongeſcens, invenerunt *Maſorethæ*. Hanc punctationem Anomalam & planè Syriacam, ut corrigerent ipſi notârunt *Vav* in *Iodh* eſſe mutandum; unde τὸ *Keri*, ſeu vox legenda, quæ Bibliorum margini appingitur, eſt הֹוצֵא ad Perfectorum imitationem. Eadem certè eſt ratio Imperativi הַוּשַׁר, qui punctatione quoque Syriaca gaudens, *Pſal.* 5. 9. occurrit: de quo *Maſorethæ* in Margine notârunt, legendum eſſe הֹושַׁר. Cur vero iſtiuſmodi literarum mutationem tentarent *Maſorethæ*, niſi ad punctationem irregularem tollendam, quam eandem cum hodierna olim invenerunt, nemo mortalium eſt, qui capiat. Quieſcentia *Pe Iodh* in *Hiphil* habere *Vav Cholem* pro *Iodh Schevando*, vel pueri nôrunt: atque ita ſe habere poterant hi duo Imperativi הוצא & הושר, legique ſine omni punctorum Anomaliâ *Hotſe* & *Hoſchar*, præterquam quod antiqua punctatio, cujus emendationem inſtituerunt *Maſorethæ*, prohibuerit. Sed hiſce valere juſſis, alia inſuper exempla è Pſalmorum libro, quo ſolo contenti ſumus, ſunt petenda. *Pſal.* 10. 5. occurrit vox דרכו, quam legi debere דְּרָכָיו τὸ *Keri*

Keri monet. quæ certè, niſi puncta textui ſacro tunc temporis adhærentia prohibuiſſent, legi poterat דַּרְכּוֹ, nulla vel conſtructioni Hebraicæ, vel ſenſui injuria allata.

Sic *Pſal.* 21. 2. verbum יָגִיל occurrit cum *Iodh* ſecundum τὸ *Keri* redundante; quod tamen Conjugationis Analogia nunquam, niſi punctatio irregularis (quam hinc conſtet illos ob oculos habuiſſe) id *Maſorethis* ſuaſiſſet.

Sic *Pſal.* 51. 4. Imperativus הָרְבֵּה Quieſcentium *Lamedh He* occurrit, cum duplici *Segol* more Apocopatorum, legiturque juxta notam Maſorethicam *Herebh*; cum contrà niſi puncta aliud poſtulâſſent, ipſa conjugationis Analogia, ut *Harbeh* legeretur, imperâſſet.

Iſtiuſmodi quàm plurima occurrunt, quibus explicandis & ad inſtitutum noſtrum accommodandis haud immorari lubet, ne nimius eſſem. Qui plura expetit, loca quæ ſubduntur, conſulat.

Pſal. 56. 7. 59. 16. 77. 12. 89. 18. 85. 1. 105. 18. & 28. 134. 2. 140. 9. 145. 6. & 8. In hiſce omnibus, tota quæ cernitur inter τὸ *Keri* & τὸ *Chethibh*, diverſitas, ex nullo alio promanavit fonte, quàm ex Anomala, quâ *Maſorethæ* τὸ *Chethibh*, ſeu voces Textuales invenerunt affectas, punctatione. Hinc ſaltem puncta Hebræa ipſis *Maſoræ* Auctoribus (ſive *Eſræ* & viri Synagogæ Magnæ, ſive aliqui alii fuerint) eſſe antiquiora, atque ideo, ſi non literis coæva, Rabbinis certè ordine temporis priora, inferre licet. Docti enim plerique omnes Antiquitatem τοῦ *Keri*, & τοῦ *Chethibh*, admodum venerandum

uno

uno ore tribuunt. Hanc Antiquitatem τῷ *Keri* & τῷ *Chethibh* ineſſe ipſe *Capellus* ultrò concedit. Si non ſunt emendationes ab *Eſra* & viris Synagogæ Magnæ, factæ; tamen (inquit ille) variæ iſtæ lectiones valde ſunt antiquæ: nam earum ſæpius meminerunt Talmudici, & magna earum pars, quæ hodie in Bibliorum margine notata eſt, jam olim ab ipſis obſervata & indicata eſt. *Arcan. punct. lib.* 1. *cap.* 7. *pag.* 40. Hic minùs diſſimulandum, Doct. *Waltonum* in contraria eſſe ſententia. Negat enim iſtam *Maſoræ* partem, quæ circa τὸ *Keri* & τὸ *Chethibh* verſatur, ante *Talmud* confectum extitiſſe; ſed non ſine maximo & nominis ſui, & ipſius veritatis præjudicio. Nam,

(1.) *Ludovicus Capellus*, quem pro Numine, cujuſque verba pro oraculis in punctorum cauſa ubique veneratur Cl. *Waltonus*, hiſce τῶ *Keri* & τῶ *Chethibh* notis antiquitatem venerandam adſcribit, illaſque exiſtentiam obtinuiſſe Ante-Talmudicam, agnoſcit, inevitabili veritatis evidentiâ adductus.

(2.) Harum notarum ipſi *Talmudici* ſæpius meminerunt. Hîc iterum negativam tenet ſententiam Cl. *Waltonus*. Sed tardâ, quæ credita lædunt, credimus fide. Qui *Talmud* nec legunt, nec legentibus pro optima charitatis lege fidem adhibent, hac in re ſemper hallucinenter, oportet. Quo enim pharmaco eorum, quæ planè in deliciis habent, præjudiciis medeamur, fas eſt? Certè Cl. *Buxtorfius Com. Maſor. cap.* 8. ex utroque *Talmud* adduxit, quæ de ante-Talmudica harum notarum exiſtentiâ, omnibus in πληροφορίαν cedant,

præter

præter illos ſolos, qui contrariæ opinionis ſuffulciendæ corripiuntur libidine. *Vid. Talmud. Hieroſ. lib. Megilla cap.* 4. & *Babyl. lib. Nedarim. cap.* 4. & in *Miſchna. lib. Megil. cap.* 3. & in *lib. Kiddaſchim. cap.* 1. &, quæ apud *Buxtorfium* occurrunt, plura. Quandoquidem igitur notas כתיב *Keri* & קרי *Chethibh* jam ante *Talmud* fuiſſe, eaſque originem ſuam ex punctatione Anomalâ traxiſſe, manifeſtò liquet; hinc certè inferre licet, ipſam punctationem Hebraicam, ſi non literis coævam, ſaltem ante-Talmudicam obtinuiſſe exiſtentiam. Verùm enim verò, ne quis meam de notis כתיב *Keri* & קרי *Chethibh* ex punctatione Anomalâ oriundis ſuſpectam habeat opinionem, Clariſſimi *Pocockii* Authoritatem adducendam putavi. Vir ille magnus, ipſiſſimuſque literaturæ Orientalis genius, de voce מיורדי (quæ *Pſal.*30. 4. occurrit) Criticum agens, hæc habet, argumento noſtro ſtabiliendo maximè accommodata. Niſi enim (inquit) *Maſorethæ*, (vel quicunque tandem fuerint, qui כתיב *Keri* in margine appoſuerunt) reperiſſent מיורדי ita utî nunc habetur punctatum, vocalibus voci מירדי convenientibus, quid opus habuiſſent ipſam ſubſtituere? ſenſus æquè (ſi non meliùs) fluit legendo *Miyorede*, à deſcendentibus, ut præter jam laudatos interpretes, ipſum etiam *Kimchium* conſulenti, aliaque Pſalmorum loca in quibus mentio fit יורדי בור קרי, è quorum numero ſe magnâ Dei gratiâ exemptum hic gratus agnoſcit, perſpicuum fiet. Quod ſi in aliis exemplaribus (ut vult *Avenarius*) מירדי reperiſſent, & abſque punctis vocalibus, quid ni *Miyoride* eliſo *Vav Cholem* nihil impediente Analogiâ,

logia, legiſſent præſertim aliis illis in quibus expreſſum ita monentibus: quin etiam ſi מיורדי *Miyorede* ſuis (quas volunt) vocalibus inſignitum in iis, quæ ipſum legunt, reperiſſent, illas ſine neceſſitate abjicere, ut peregrinas, infinitivi (ut aiunt) proprias, eorum loco adderent, haud auſi unquam fuiſſent. Eadem ferè ratio eſt & aliorum in quibus τῷ *Kametz* poſtponitur e. g. יוסף *Yavſaph*, 1 *Sam.* 26. 1. ubi *Keri* eſt יסף *Yaſaph*. יובלו *Yavcelu*. *Joſ.* 15. 63. ubi legi jubent *Yacelu*. & מלושני *Melavſcheni*, *Pſal.* 101. 5. legunt מלשני *Melaſcheni*: ut & τῷ *Pathach*, veluti הושר *Havſchar Pſal.* 5. 9. ubi legunt הישר *Huiſchar*; in his atque ejuſmodi aliis, quid neceſſe fuit conſonas mutare, niſi vocales, quæ iis minùs quadrare videbantur, adſcriptas reperiſſent? Legere enim poterant ſenſu æquè commodo, ac favente Grammaticâ iiſdem literis per vocales tantùm diverſas prolatis; *Yoſeph*, *Yucelu*, *Melôſcheni Hoſcher*. Si vocales pro arbitrio ſuo addendas habuiſſent, quid opus fuiſſet ejuſmodi apponere, ob quas conſonæ eſſent mutandæ? Eas inveniſſe videntur, quas loco movere non auſi, literas quibus eas magis convenire judicarent, in margine adſcriberent. Hactenus Cl. *Pocockius*; ſecundum cujus calculum, notæ τῆς *Keri* quàm plurimæ, ex punctatione Anomalâ ſunt oriundæ; eamque neceſſariò ſupponunt; quod certè evincit, puncta ipſis Talmudicis, qui τῆς *Keri* mentionem ſubinde faciunt, eſſe antiquiora. *Miſcel. cap.* 4. *pag.* 64, 65.

Hîc verò meminiſſe juvat, *Ludovicum Capellum* qui nullum non movit lapidem, ut puncta Hebraica

braica è medio tolleret, argumentum qualequale ex *Maſorethicis τῦ Keri & τῦ Chethibh* notis excudiſſe, quo punctorum Antiquitatem jugulari putat. Quæcunque tandem ex hiſce tribus cauſis ſtatuatur variæ iſtius lectionis, certè (inquit ille *Arcan. punct. lib.* 1. *cap.* 7. *pag.* 41.) ſi inde à *Moſis* tempore eſſent vocalium & accentuum notulæ, multó frequentiores futuræ fuiſſent variæ lectiones circa vocales & accentus, quàm circa literas, ſive conſonas; ſaltem non potuiſſent nullæ eſſe circa vocales & accentus. Nulla tamen eſt circa vocales; ſed omnes ſunt circa conſonas duntaxat. Unde iſtud factum, niſi quia nondum erant tum punctati codices?

Huc redit totum *Arcani Capelliani* caput ſeptimum, de notis *τῦ Keri & τῦ Chethibh* conſcriptum; hæc ſunt oſſa, hæc medulla argumenti inde Spagyricè extracti.

Huic verò ut ſatisfiat argumento planè nugatorio, haud opus eſt hortamine longo: ego brevi, quid ſit reſpondendum, dicam.

(1.) Cùm longè proclivius ſit in adſcribendis punctis, quàm in deſcribendis conſonis labi, ipſa certè religio juſſit, ut majori curâ, majori diligentiâ ac curioſitate in illis quám in hiſce exarandis uterentur. Ecquem verò fugit ſapientis dicti vis & ἐνέργεια maxima, *μελίτη τὸ πᾶν*? Certè labor improbus & abundans cautela in minutiſſimis labi & hallucinari minùs patitur, quàm in maximè obviis & factu facillimis ſupina oſcitantia.

(2.) Quamvis circa puncta nullæ eſſent variæ lectiones, magna tamen earum pars ex punctatione

Anomalâ

Anomalâ orta est, eamque necessariò supponit. Hoc jam suprà probatum dedimus; insuperque evicimus, punctationem pro normâ literarum substituendarum *Masorethas* habuisse, dum ipsi puncta loco movere non sunt ausi, sed consonas illis ex Analogiâ Grammaticâ quadrantes è regione adscribendas potiùs duxerunt. Ne cui verò mirum videatur, quód qui Bibliis emendatè describendis operam navârunt, puncta potiùs quàm Consonas pro norma textûs sacri ad dialectum usitatiorem revocandi, noverint universi, Judæos ad unum omnes plus punctis quàm literis adscribere, illa Animæ, has corpori, illa homini, hasce verò vestimentis assimilantes. Ecquid, quæso, miri, si, qui novas vestes sibimet est comparaturus, illas corporis, non verò corpus illis coaptandum putat? Certè suppositâ punctatione, ipsa linguæ Analogia, ut dialectus obtineret usitatior, hanc ipsissimam consonarum mutationem, quam hodie Bibliorum margini, sub nomine τὸ *Keri*, adscriptam habemus, nullam verò punctorum, postulavit; quod Hebraice doctis suprà posita exempla inspicientibus facilè suboleat.

(3.) Sed, si de *Masoretharum* priorum notis, quæ τὸ *Keri* & τὸ *Chethibh* vulgò vocantur, sermo sit, ex illisque objectio emulgeatur *Capelliana*, (quod satis manifestum, *Arcan. punct. lib.* 1. *cap.* 7. consulenti) nego illas esse (quod gratis supponit *Capellus* varias lectiones ex diversis exemplaribus collectas. Omnes enim istæ notæ Marginales, quas pro vocibus textualibus circello notatis legendas esse judicârunt *Masorethæ*, sunt tantùm

tantùm emendationes & correctiones vel ἐυφωνίας vel ἐρμηνείας, vel ἀναλογίας ἕνεκα factæ. Bonam harum notarum partem, Anomaliæ textualis ad uſitatiorem Grammaticæ Analogiæ formam, & communem loquendi uſum, revocandæ cauſâ factam eſſe, neminem penè latet, præter illos, qui nullam Chaldaiſmorum, Syriaſmorum, & Arabiſmorum, quibus ſubinde ſacræ paginæ ſcatent, rationem habent, ſed δυσκόλως omnia textui Originali adhærentia, quibus ſolvendis curta illa & prætenuis, quam quaſi totius Orientis ſpoliorum compotes ad nauſeam uſque oſtentant, literarum Hebraicarum peritia non eſt. Faceſſant igitur, qui ſcientiæ opinione prætumidi, omnes textus Hebraici Anomalias pro corruptelis, variis lectionibus, & mendis irreptitis habent, quas ipſi præ linguarum cæterarum Orientalium ignorantiâ, quâ laborant, craſſiſſimâ, minùs capiunt. Egò planè idem cum Cl. *Pocockio* hac in re ſentio. Conjectari tamen abſque temeritatis notâ liceat, hinc (inquit) lectionem iſtarum non paucas ortum traxiſſe, quòd cùm ea quæ ſcriberentur dialecti forſan rudioris, aut formæ quæ minùs jam in uſu eſſe viderentur, סוֹפְרִים, ſeu ſcribæ, qui codicibus emendatè deſcribendis præerant, formam puriorem, & uſitatiorem, vel Grammaticis Canonibus magis ſtabilitam è regione adſcripſerint, ac per eam afferri voluerint; quod tamen pro immutatione, vel innovatione haberi non mereretur; ut ſi quod Propheta quis *Ephraimi* ſtirpe ortus שִׁבֹּלֶת *Sibboleth* ſcripſiſſet, Scriba quis Hieroſolymitanus *Schibboleth* per *Schin* efferri juſſiſſet, haud

aliud quid ſcripſiſſe, vel textum corrupiſſe dicendus eſſet. *Miſcellan. cap. 4. pag. 66.* & infrà *pag. 67, 68.* Ac certè quod de lingua Hebraica diximus, haud à vero alienum probabitur aliarum linguarum exemplo, ſi quis loquendi, pronunciandi, & ſcribendi formas antiquas cum novis, vel diverſarum τῶν ὁμογλώσσων provinciarum dialectos inter ſe conferat, ubi non minorem in vocalium, & diphthongorum vi & ſono, & promiſcuo ſæpe uſu, ac literarum tranſpoſitione, otio (ut loquuntur, dum ſcriptæ haud pronunciantur) & mutatione, varietatem reperiet, quam variantes iſtæ linguæ Hebraicæ indicant, nec ſi quis ubi tale quid occurrit aliam in margine, ac magis forſan nunc temporis in uſu ſcribendi, vel proferendi formam annotaverit, quid immutâſſe, vel corruptum aut corrigendum judicâſſe, re eódem recidente, ſenſuque inviolato manente, cenſebitur. Quamvis igitur voces quædam juxta regulas, quæ apud Grammaticos recentiores obtinent, anomalæ videantur, ne tamen pro erroribus ſtatim habeantur, atque è textu ut erroneæ abliminentur, ſuadet & ab immedicabili Hebraiſmi antiquioris ignorantiâ, & à vicinarum, quæ quicquid ferè habent linguæ iſti primævæ debent, uſu petita ratio. Hactenus literaturæ Orientalis Theſaurus, Cl. *Pocockius:* cui ſuffragatur Doctiſ. *Hottingerus Gram. Harmon. cap. 25. pag. 150.* Hæc igitur ſola reſponſio objectiunculæ *Capellianæ* à notis τῆς *Keri* & τῆς *Chethibh* extortæ, petit jugula; nec enim ex diverſis exemplaribus, notæ iſtæ Maſorethicæ ſunt oriundæ. Si verò de variis *Maſoretharum* poſteriorum,

posteriorum, *Ben Aſcher* scilicet & *Ben Naphthali* lectionibus quæstio oriatur, certo certius est, non tam literarum, quàm punctorum in illis rem agi. Nam ortæ sunt (inquit *Buxt. de punct. Orig. lib.* 1. *cap.* 15.) inter illos dissensiones, de multarum vocum accuratâ scriptione, sed Grammaticales tantùm, nec magni momenti, & quæ sensum, aut significationem vocum nihil planè attingant; de punctis scilicet duntaxat aliquibus, sed maximam partem, accentibus, ut videre est ex Catalogo illarum vocum, qui subjunctus est Bibliis majoribus. Dissidia illorum de punctis vocalibus sunt tantummodò, ut *Elias* observavit, de *Cholem*, *Kamets chatuph*, *Kamets* magno, *Pathach*, *Scheva*, & *Chateph pathach*; item de *Dageſch* & *Raphe*. De accentibus etiam non omnibus dissentiebant, sed tantùm de minoribus; veluti *Metheg*, *Makkaph*, *Munach* & *Paſchta*. Vide quoque *Hotting. Theſaur. Philolog. lib.* 1. *cap.* 3. *pag.* 403. Nihil igitur est, quod miremur, si in notis τῆ *Keri* & τῆ *Chethibh* correctio non punctorum, sed literarum tota instituatur; quia notæ istæ nequaquam sunt variæ lectiones ex diversis exemplaribus, sed ex punctatione à communi usu diversâ, oriundæ. Ubi verò lectiones variæ ex diversis ortæ exemplaribus occurrunt, etiam tam de punctis, quàm de consonis quæstiones & lites ortæ sunt; uti ex dissensionibus inter *Ben Aſcher* & *Ben Naphthali* (quorum, hunc in sacri textûs lectione sequuti sunt Judæi Orientales seu Babylonii, illum verò Judæi Occidentales) agitatis, manifestum est.

CAPUT XII.

In quo, ex Universali Judæorum consensu, conficitur argumentum, punctorum adstruens Antiquitatem.

(9.) ARgumentum nonum, idque magni ponderis, inartificiale licét, universalis Judæorum præbet consensus. Pro uno *Elia Levita*, quem solum ex Judæis omnibus Hebraicè doctis, punctorum hostes sibi habent patrocinantem, nos cæteros quotquot sunt omnes, Talmudistas, Cabalistas, Grammaticos, atque Historicos punctis Antiquitatem vel literis vel *Esræ* parem habemus, adscribentes; atque *Eliæ*, quod contrà docuerat, bellum ἄσπονδον & perpetuum indicentes. Haud me fugit, punctorum Adversarios, quód nulla eorum mentio, neque vola, neque vestigium in toto opere Talmudico occurrit, ad nauseam usque clamare, indeque inferre, puncta esse *Masoretharum* post-Talmudicorum inventum. Sed *Buxtorfii* ambo istiusmodi de punctis ex opere Talmudico produxerunt testimonia, quibus diluendis, ne tota gens *Eliana* sufficit. Nos hæc impresentiarum missa facimus; quippe quæ suo loco sunt infrà adducenda. Cæterorum testimonia quod attinet, doctissimi quique Rabbini statuunt, puncta vel ab ipsis Spiritûs Sancti Amanuensibus, vel ab *Esra* esse profecta. Hic unus tantum *Elias Levita* excipiendus,

endus, qui in ſua caſtra invitos, imò & ab ejus ſententiâ tanquam à tartareis tenebris abhorrentes alios pertrahere eſt conatus; & poſt illum *Johannes Morinus*, *Ludovicus Capellus*, & cæteri punctorum hoſtes. Omnes enim eoſdem agunt cuniculos: nec quibus poſſunt mediis, vi, dolóve, ſuam adſtruere opinionem dubitant. Quò igitur dolorum fabricatoribus gloriandi anſam efficaciùs ſubtrahatur, nos pauca ex antiquiſſimis Judæorum monumentis adducemus punctorum Antiquitatem adſtruentia teſtimonia, quibus adductis vindicias ſubnectemus. Hic autem *R. Davidem Kimchium*, *R. Aben Eſram*, *R. Moſem Bar Nachman*, *R. Aſariam*, *R. Jehudam Levitam*, *R. Jehudam Muſcatum*, *R. Iſaacum Abarbenelem*, & alios Hebræorum doctiſſimos, qui punctorum Antiquitati patrocinantur, eamque ſuis comprobant ſuffragiis, miſſos facio, teſtimoniis, ex libro *Zohar* & libro *Bahir* petitis, contentus.

Librum *Bahir* quod attinet, eſſe omnium Rabbinicorum antiquiſſimum, ejuſque Authorem eſſe *R. Nechonia Ben Hakkana*, qui σύγχρονος fuit *Jonathani* Paraphraſtæ, annis triginta aut quadraginta ante Chriſtum, teſtatur Cl. *Buxt. Bib. Rab. pag.* 278. Libri verò *Zohar R. Schimeon Ben Jochai* fertur Auctor, quoad doctrinæ ſummam; ejus tamen compoſitionem, & traditionum in illo libro contentarum conſarcinationem, filio ejus, filiique diſcipulis, *R. Abraham Zachuth*, Auctor libri *Juchaſin*, acceptam fert, tribuitque. Ex hiſce libris teſtimonia aliquot punctorum antiquitatem adſtruentia jam ſuprà adduximus:

præter iſta hic paucula ex utroque codice eſſe adducenda putavi. In *Medhraſch*, ſive commentario ſuper *Cant.* ex *Zohar*, hæc punctorum antiquitatem alentia occurrunt. תֵּיבִין בְּלָא נְקוּדִי אִנּוּן כְּאִתְּתָא בְלָא לְבוּשִׁי בְּגִין כֵּן תְּקוּנֵי דְאַתְוָן אִנּוּן טַעֲמֵי וְתִנוּעִי : *Hoc eſt.* Dictiones abſq; punctis ſunt ſicut mulier abſq; veſtibus: idcirco veſtimenta literarum ſunt accentus & vocales. Et mox ibidem. וְאִם תֹּאמַר נְקוּדֵי תִקּוּן סוֹפְרִים הוּא חַס וְשָׁלוֹם דַּאֲפִילוּ כָּל נְבִיאֵי דְעָלְמָא יְהוֹן כְּמשֶׁהרַקַּבִּיל אוֹרַיְתָא מִטּוּרָא דְסִינַי לֵית לוֹן רְשׁוּ לְחַדְּתָא אֲפִילוּ חֲדָא נְקוּדָה וְעִירָא וְאָת אֲפִילוּ וְעִירָא דְאוֹרַיְתָא : *Hoc eſt.* Quod ſi dixeris: puncta ordinatio Scribarum ſunt. Abſit id longiſſimè: nam etiamſi omnes Prophetæ mundi eſſent ut *Moſes* ipſe, qui accepit legem è monte *Sinai*, non tamen ipſis eſſet poteſtas innovandi etiam unicum punctum, minimum, vel literam minimam legis. Præterea in ipſo *Zohar* in *Gen. col.* 106. רָזָא דְמִלָּא וגו. Secretum rei eſt *Zarka*, *Makkaph*, *Schophar holech* (aliàs *Munach*) *Segolta*. Et *col.* 152. נְקוּדָה חֲדָא וְנוּ Punctum unum ſi fuerit infrà, eſt *Chirek*; ſi ſuprà, eſt *Cholem*; extremitas (punctum extremum literæ ' *Iodh*) ſi fuerit in medio, eſt *Schurek*; ſi iſta tria puncta fuerint ſimul, eſt *Segolta*, ſunt *Schalſcheleth*, ſunt *Schurek* ſunt *Segol*. Talibus hic Commentarius (inquit *Buxtorfius*, *Tiber. cap.* 9. unde hæc tranſcripſi) plenus eſt, quæ ortum, uſum, & neceſſitatem

tatem punctorum indicant. Sic liber *Bahir*, Chriſto incarnato antiquior; (ut docet liber *Juchaſin. fol.* 20. *Tſemach David. fol.* 35. *Buxtorfius in Bib. Rabin. pag.* 278. & *Alſtedius*, in *Theſaur. Chron. cap.* 42. *pag.* 422.) multa de punctis, eorum Antiquitatem evincentia habet. Dicit enim hujuſce libri *Cabaliſtici* Auctor, teſte *R. Bechai* in *Comment. in lib. legis, ſectione Vaiikra*, ſive ad *Gen.* 18 3.

דְּמִין נְקוּדָתָא בְּאוֹרָיְתָא דְּאוֹרָיְתָא דְּמַשְׁרְ
כְּנִשְׁמְתָא דְּחַיֵּי בְּגוּפָא דְּאֱנָשׁ כְּמוֹ שֶׁרְשֵׁי רְבוּתֵינוּ
זַ"ל בְּסֵפֶר הַבָּהִיר :

Talia ſunt puncta cum literis legis *Moſis*, qualis eſt anima vitæ in corpore humano. Quid verò ad hæc, & hujuſmodi, ex libro *Zohar* & *Bahir* petita teſtimonia? Nempe horum librorum authoritatem elevant, & eorum antiquitatem ſuſpectam reddere, nullis rationum momentis, ſed miſeris hariolantis cerebelli conjecturis freti, pro virili conantur. Ne verò de iſtiuſmodi conjecturis quiſquiliosis ſibi nimium adblandiantur, eas ad examen revocandas, & paucis diluendas eſſe putavimus. Contendit igitur *Capellus* librum *Bahir* & *Zohar*, in hac lite dirimendâ, nihil valere ob ſequentes rationes. *Arcan. punct. lib.* 2. *cap.* 3.

(1.) Quia per multa ſecula delituerunt, tandemque hoc poſtremo ſeculo, velut è puteo Democritico, eruti ſunt.

Reſpond. Ratio hæc planè iſtiuſmodi eſt, quæ mutuâ quâdam Metamorphoſi factâ, *Democritum* in *Heraclitum*, & *Heraclitum* in *Democritum* tranſformet, huic lacrymas, illi verò riſum extorquens. Quid enim ſtultius, aut magis ridiculum,

quàm ista omnia existentiæ finibus exturbare, quæ intra cognitionis nostræ limites sphæramque minùs ceciderint? A novitate cognoscendi, ad novitatem essendi, non valet consequentia. Multa enim quoad nos sunt nova, quæ in se considerata, canis venerandæ Antiquitatis signantur capillis. Quid? an eò reprobandus liber legis, quasi nothus & suppositicius, quòd tam diu in secretis templi loculamentis delituerat? an eò novis terrarum orbis veteri spoliandus existentiâ, quod nobis planè incognitus, donec *Christophorus Columbus* ad Christianorum aures ejus famam primus attulit? Sed, quòd tam diu hi codices, liber scilicet *Zohar* & *Bahir* delituerint, id aiunt *Hibræorum* Doctores non esse novum inter Judaicos libros, quorum multi adhuc hodie extant, qui similiter per multos centenos annos in *Ægypto*, & istis Orientalibus locis occultati fuerint. *Buxt. Bib. Rab. pag.* 287. Ego verò hæc habeo regerenda, quæ horum librorum antiquitatem adstruunt.

(1.) Et Hebræorum & Christianorum suffragia. *R. Gedalja* in libro *Schalschelet pag.* 31. & *pag.* 47. horum librorum meminit, & illis antiquitatem, quam volumus, attribuit. Sic *R. Abraham Zachulth*, author libri *Juchasin*, *fol.* 42. Sic *R. Davidh Gans in Tsemach Davidh*; & Judæi plerique omnes. Ex Christianis horum librorum Antiquitatem, non pauci sunt, qui agnoscunt. *Alstedius* dicit, *Jonathani* ἀνάγκαιον fuisse *R. Nechonja Ben Hakkana*, authorem antiquissimi libri *Kabalistici Bahir*, qui tractat de profunda *Kabala*, & mysteriis nominum divinorum. *Thesaur. Chron.*

Chron. cap. 42. *pag.* 427. Libro autem *Zohar* Antiquitatem licèt non tantam, tamen ante-Talmudicam ex omnium Hebræorum conſenſu adſcribit. *Theſaur. Chron. cap.* 35. *pag.* 271. Horum librorum Antiquitatem minùs impugnat *Buxtorfius* Senior; *Buxtorfius* verò Junior eam ſuſcepit defendendam. *De punct. Orig. lib.* 1. *cap.* 5. *Picus Mirandula* in præfatione in ſuum *Heptaplum*, ſcripta *Simeonis* libri *Zohar* Auctoris, inter antiquiſſima Judæorum monumenta refert. Librum *Zohar* 87 Chriſto nato annis antiquiorem, ejuſdemque γνησιαν agnoſcit *Genebrardus Chronolog. fol.* 311. Sic & *Arcangelus de Burgo-novo in Apolog.* contra *Petrum Garziam. pag.* 14. cujus verba prout apud *Buxtorfium* extant, hæc ſunt. Et propterea nulla te capiat admiratio, quòd *R. Simeonis* principis Cabalorum, pariter & divi *Dionyſii* monumenta, tanto temporis tractu latibulis & tenebrarum caligine abſcondita jacuerunt. Quòd ſi Eccleſiaſticas ſimul & Talmudicorum hiſtorias inſpicias, & *Dioniſii* ſcripta cum *R. Simeonis* dogmatè conferas, planè reperies utrumque coætaneos, & circa ſacratiſſimæ crucis Domini, & Hieroſolymitani excidii tempora floruiſſe. Hactenus Auctores tàm Judæi, quàm Chriſtiani, qui Codicum *Bahir* & *Zohar* antiquitatem calculo ſuo comprobant. An æquum ſit ut unius *Capelli* [illegible] arrepta ſaltem, ſi non ſimulata ſuſpicio, tot tantiſque viris horum librorum antiquitatem junctis comprobantibus ſuffragiis præponderet, non quidem meum, ſed lectoris cordati eſt judicare.

(2.) Tum

(2.) Tum lingua, & Idiotiſmus, qui talis, qualis ſub Chriſti tempora uſu obtinuit: tum res ipſæ, & commentandi genus ac ingenium, quæ novitatem minimè ſapiunt; ſi quid *Buxtorfius* hac in re judicat. *De punct. Orig. lib.* 1. *cap.* 3.

(3.) Id denique, quòd horum Codicum Auctores nullius unquam libri Talmudici mentionem faciant; argumentum ſanè probabile, ante collectum *Talmud*, hoſce codices conſcriptos eſſe. Licèt enim ex eo, quòd *Talmud* nullam faciat punctorum expreſſam mentionem, non illicò ſequitur puncta ante confectum *Talmud*, nulla fuiſſe: quia Talmudici omnes aliud egerunt; quippe qui non in literis & vocalibus perſequendis, ſed in ritibus & juris apicibus enucleandis potiſſimùm verſati fuerint. Conceſſo tamen, nullam *Talmudicis* in codicibus *Bahir* & *Zohar* fieri mentionem, certè fieri vix poteſt, quin conſequatur, illos, ante collectum *Talmud*, conſcriptos eſſe: quia ſecùs ſi ſe res habuiſſet, certè horum librorum Auctores & ſibi, & opuſculis ſuis, tum amorem, tum authoritatem, ex *Talmude* ſæpiùs allegato, conciliare curâſſent; præſertim cùm rerùm utrobique affinitas, id poſtulâſſe videtur. Sed pergit *Capellus*, horumque codicum antiquitatem ulteriùs in dubium vocat.

(2.) Quia punctorum vocalium & accentuum mentionem faciunt, quorum nominum ne ullum quidem veſtigium extat in toto *Talmud*.

Reſpond. Quid præſtiterit *Talmud*, & cur expreſſa accentuum & punctorum nominum minùs occurrat mentio, infrà dicetur. Hinc verò cur horum

horum librorum authoritatem elevârit *Capellus*, conſtat.; nimirum quia ſententiæ *Elianæ*, in quam juratus eſt, adverſantur, eamque radicitùs convellunt, dum expreſſam punctorum mentionem faciunt. Tollantur punctorum & accentuum ex hiſce libris nomina, quibus ejus, quam habet in deliciis, graviter ſauciatur opinio, auſim ſpondere, *Capellum*, nullas unquam de horum Codicum antiquitate lites eſſe moturum, ſed eam potiùs patrocinandam, ſummiſque laudibus celebrandam, ſuſcepturum eſſe. Interim, quàm iniquus rerum æſtimator ſit *Capellus*, obſervare juvat. Punctorum antiquitatem ex veteribus Hebræorum libris ac Kabaliſticis, probatam ut demus ſeriò poſtulare atque in votis habere videtur: quòd ſi tamen ullam punctorum mentionem in illis fieri ſemel deprehenderit, illos dictum factum reprobat, ac libros vetuſtiſſimos quoſvis, pro re nata, novitatis acriùs inſimulat, calumniaturque. Sic puncta, ob libros Kabaliſticos nullam eorum mentionem facientes, & libros, ob puncta quorum mentionem faciunt, ſubinde novitatis damnat.

Quo teneam nodo mutantem Protea vultum?

Heu quantillo operæ pretio demonſtrationes ferè omnes redeunt *Capello*, actæ in orbem. Sic enim ejus ſæpiùs procedit argumentatio. Puncta non ſunt Ante-Talmudica, ſed nova; quia veteres Kabaliſtarum libri nullam eorum mentionem faciunt. Et iterum iſti Kabaliſtarum libri non ſunt Ante-Talmudici, ſed novitii omnes; quia

quia expreſſam punctorum mentionem ſæpiùs faciunt. Apage iſtiuſmodi nugas, quarum certè virum Cordatum pudere debet! Sed quæ ſequuntur, plus ponderis in ſe forſan habent, objectiones. Age igitur; vires quæ iis inſunt, tentemus. Horum enim librorum antiquitatem ſuſpectam habet.

(3.) Quia fieri poſſit, ut libri iſti ſint ψευδεπίγραφοι, non genuini illi, qui olim ſub hiſce nominibus extiterunt, ſed nothi & ſuppoſititii, quales alii, qui hodiè falſo titulo circumferuntur.

(4.) Quia licèt det etiam iſtos libros eoſdem eſſe, qui ante *Talmud* conſcripti dicuntur, potuerunt tamen poſtmodùm interpolari, & inter tranſcribendum, iſta quæ de punctis proferuntur loca, à Judæo aliquo iis inferciri, ut iſto obtentu novum hoc punctationis inventum, commendatius poſteritati redderet.

Reſpond. Objectio utraque ejuſdem planè ſunt ponderis; hoc eſt, in rectæ rationis trutinâ ſæveriùs caſtigata neutra valet obolum; quippe quovis pulviſculo leviores ſunt utraque. Certè unam qui deleat, eadem liturâ facilè deleverit ambas: par enim ex omni parte eſt utriuſque vis ac ingenium. Argumentum in utraque objectione ſumitur à poſſibili: quod adeo certè non ſit Apodicticum, ut inter Topica locum nondum obtinuerit. Dicit *Ludovicus Capellus*, poſſibile eſſe, ut libri iſti ſint ψευδεπίγραφοι, vel interpolati: dico & ego poſſibile eſſe, ut iſti libri non ſint ψευδεπίγραφοι, non interpolati. Jam ſumus ergo pares! ſed (utì Cl. *Waltonus* caſu haud multùm

multùm abſimili) de hoc non quæritur, quid fieri potuit, ſed quid factum ſit ? Certè, ſi iſtiuſmodi nugatiunculas pro argumentis venditare liceat, de omnibus priſci temporis monumentis res tota eſſet conclamata : cùm nihil hîc dictum eſt ad librorum *Zohar* & *Bahir* antiquitatem elevandam, quin in omnia veterum Scriptorum monumenta dici queat. Quid plura ? ad ambas haſce objectiones à poſſibili deſumptas, diluendas, hoc unum reſpondiſſe ſufficit ; à poſſe ad eſſe, non valet conſequentia. Sed nondum induci poteſt, ut credat, hoſce libros eſſe Ante-Talmudicos.

(5.) Quia, ſi tam antiqui eſſent libri illi, quàm Judæi clamant, major eſſe deberet apud eos illorum authoritas, quàm eſt ipſius *Talmudis*.

Reſpond. Hæc certè objectio ad librorum *Bahir* & *Zohar* antiquitatem elevandam, nihil momenti habet, præter illud ſolum, quòd ex fidelia *Capelliana* ſit profecta. Scilicet objectio vel leviſſima à tanto viro facta, aliquid ponderis ſibi vendicare videatur : quominùs verò hanc admittere auſim, quæ ſubduntur, obſtrictus teneor, rationum momentis.

(1.) Quia alios in Archivis habent Judæi codices, eoſque opere Talmudico antiquiores, quorum tamen authoritas ipſius *Talmudis* apud Judæos ad unum omnes, eſt longè inferior. Hic autem codices antiquos pariter ac celebres *Keneh Binah*, *Sepher Jetſirah*, *Othijoth R. Akiva*, *Sedher Olam Rabba*, & alios miſſos facio, qui omnes licèt ipſo *Talmude* ſint natu majores, authoritatis tamen

tamen reſpectu ſunt multò minores. Cùm igitur horum librorum antiquitas minùs elevatur, ob eam, quam illis majorem apud Judæos omnes *Talmud* obtinet authoritatem; nemo certè ob iſtam rationem librorum *Bahir*, & *Zohar* antiquitatem in dubium vocaret, niſi qui ſtudio partium, & præjudicii glaucomate adductus, id faciat. Sed expectare licet, donec liber alicujus Rabbini privati à *Capellianiſtis* proferatur, qui ſolâ ſuâ antiquitate commendatus, operi Talmudico, ex communi Judæorum calculo, authoritatis palmam præripuit. Sed

(2.) Libros hoſce à multis retro ſeculis authoritatem apud Judæos ferè maximam obtinuiſſe, extra omnem dubitationis aleam, poſitum eſt. Aliquid igitur, *Capello* judice, in hac controverſia dirimenda, ponderis habent. Hinc *Elias Levita*, poſtquàm multa ad punctorum antiquitatem labefactandam congeſſiſſet, ſuæ tantùm non opinioni renunciat, & libri *Zohar* authoritate adductus, hæc tandem ſubdit hæſitabundus.

וּמִי שֶׁיּוֹכִיחֵנִי בְּהוֹכָחָה בְּרוּרָה שְׁדַעְתִּי וְאֹזֶן
נֶגֶד דַּעַת רוֹ֫ל וְנֶגֶד הַקַּבָּלָה דְּאַסְתִּירַת שֶׁבַּסֵּפֶר
הַזּוֹהַר יִבָּטֵל דַּעְתִּי מִפְּנֵי דַּעְתּוֹ :

Hoc eſt. Si quis autem convincere me poterit probationibus clarioribus, meam ſententiam contrariam eſſe ſententiæ Rabbinorum, & contra veritatem *Kabalæ*, quæ eſt in libro *Zohar*, nulla ac irrita erit ſententia mea, præ ſententiâ illius. Tanti fuit, apud *Eliam*, omnium qui punctis adverſantur, primipilum, libri *Zohar* authoritas! ſententiam verò

verò *Elianam* Rabbinorum, & libri *Zohar* ſententiæ eſſe contrariam, ex ſuprà adductis conſtat: tota igitur ſententia *Eliana*, & ex eâ, inſtar hydræ, repullulans *Capelliana*, eſt planè nullius ponderis, ſed ex ipſius *Eliæ* judicio repudianda. Ubi autem ipſe patronus, authoritate libri *Zohar*, victus, cauſâ cadit, de miſeris quid fiet clientibus, qui nihil ferè eorum, quæ contra punctorum adducunt authoritatem, illi non debent?

——— *ſi Pergama dextrâ*
Defendi poſſent, certè hâc defenſa fuiſſent!

Sed præter hanc, quam apud *Eliam* obtinuerat liber *Zohar* authoritatem, parem certè, ſi non majorem, apud Judæos pleroſque omnes, jam olim obtinuit. Hinc libri *Zohar* conſtitutiones iſtarum rerum, quæ in *Gemara* non ſunt explicatæ, tanquam authenticæ à Rabbinis receptæ ſunt, & in uſum traductæ. Vid. *Buxt. Bib. Rab. pag.* 287. Authoritatem libri *Bahir* nemo priùs in dubium vocavit, quàm *Lud. Capellus*; qui in hoc Scepticiſmo vix unum & alterum nactus eſt pediſſequum. Nihil enim, præter nugamentum à poſſibili deſumptum, habet, quo hujuſce libri elevet authoritatem; quam tamen & Chronologi, & Rabbini ſuis comprobant calculis. Non poſſum igitur D. D. *Waltoni* prudentiam non mirari, qui teſtimonia punctorum antiquitatem adſtruentia, quæ ex libro *Bahir* adduxit *Buxtorfius*, ne attingit quidem, ſed conſcius difficultatis tacitus præterit. Ne illum objectionis *Capellianæ* puduit, veteris ſcilicet Novatorum Cocciſmi, poſſibile

ſibile eſſe librum *Bahir* fuiſſe interpolatum: is igitur, pro eâ, quâ pollebat, prudentiâ, ſe nullum in hac cauſâ, quàm ridiculum eſſe, ſatiùs ac conſultiùs duxiſſe videtur. Maneat igitur, oportet, ſua punctis antiquitas, donec, qui libri & *Bahir* & *Zohar* authoritatem, non *Capelliani* cerebri figmentis, ſed æquis rationum momentis è medio tollat, tandem prodeat. Illam enim ponemus Regulam apud æquos omnes judices uſitatam, ut qui impugnare velit, ſcriptum aliquod multa per ſæcula receptum, ei incumbat onus adferendi argumenta fidem ſcripto derogantia: quòd ſi id facere nequeat, defendendum librum velut in poſſeſſione ſuæ auctoritatis. *Grot. de Verit. C. R. lib.* 3. *pag.* 60.

Verùm enim verò, quòd Philoſophus ſpeculativè, id punctorum hoſtes nos practicè docent: τὸ ἧ μῖσος, ἢ πρὸς τὸ γένη; odium ſcilicet adverſus ipſa genera exerceri. Quòd enim non tantùm libri *Bahir* & *Zohar* authoritatem reddat ſuſpectam, ſed quòd omnia etiam omnium Judæorum teſtimonia convellere videatur, objiciunt.

(1.) Objiciunt Judæos in hiſtoriâ propriâ, ob exilia & diſperſiones frequentiores, hoſpites eſſe & peregrinos, nullumque ab urbis excidio hiſtoriographum fide dignum habere.

Reſpond. Hoc inane eſſe effugium, hominumque ſummâ cauſæ deſperatione laborantium, & peſſimè tergiverſantium Κρηζοφύγελον. Nam

(1.) Ubi in cauſæ ſuæ ſubſidium aliquos ex Rabbinis παρερμηνείᾳ & vi pertraxerunt, eorum teſtimonia, magnâ ſemper cum pompâ, à punctorum

rum hoſtibus proferuntur, atque jactantur tanquam è tripode dicta. Si quid contra punctorum antiquitatem valent Judæorum teſtimonia ; quidni & pro punctorum antiquitate valeant ?

(2.) Quó magis in propria hiſtoria Judæi ſunt hoſpites & peregrini, eò magis de punctorum conſtat antiquitate. Semper enim viguit, & etiam nunc viget, apud Judæos pleroſque omnes, perſuaſio, puncta Hebræa eſſe planè divina. Hæc quidem perſuaſio tam altas in Judæorum mentibus egit radices, ut nullæ exilii difficultates, nullæ temporis injuriæ eam radicitùs evellere unquam valuerint : quod certè evincit, hanc perſuaſionem eſſe tantùm non Θεόπνευστον ; ſaltem ex medio quodam inviolabili eſſe oriundam.

(3.) Utcunque plus vident oculi, quàm oculus. Si gens tota Judaica in hiſtoria de punctorum Origine cœcutiſſe ſit dicenda, quo tandem collyrio oculos delibutus, eorum novitatem diſpexit unus *Elias Levita*, qui ſi ad plurimos ex Rabbinis (quos punctorum antiquitati ſuffragantes habemus) comparetur, talpa eſt ; imò & talpâ cæcior. Quod explicito vel tacito omnium conſenſu nititur, præ unius homuncionis ſententiâ, ſi non verum, tamen veriſimillimum eſt.

(4.) Objiciunt, Judæorum teſtimonia pro punctorum antiquitate pugnantia, parùm ponderis in ſe habere. Quid enim ? quia domeſtica ſunt ; & in propria cauſâ ab iis profecta, qui quidlibet fingunt, quod ad gentis ſuæ gloriam facit, cujuſmodi eſt hæc de punctorum antiqui-

tate, quam adſtruere conantur ſententia. *Lud. Capell. Arcan. punct. lib.* 1. *cap.* 3. *lib.* 2. *cap.* 2. & D. D. *Walt. Proleg.* 3. §. 42.

Reſpond. Oedipus ſit oportet, vel magnus *Apollo*, qui planè dicat nobis, quomodò divina punctorum origo plùs cedat in gentis Judaicæ gloriam, quàm nupera eorum inventio à *Rabbinis Tiberienſibus* (ex *Elianorum* ſententiâ) profecta! Gens certè unaquæque in artibus excogitandis, quò fœlicior & fœcundior, eò celebrior, & gloriâ cumulatior ſemper extitit. Meminerint punctorum hoſtes, Salvatoris noſtri verborum dicentis, *beatius dare, quàm accipere.* Et quidni dicamus, beatius eſt (quod ad gloriæ, apud homines, acquilitionem attinet) dare legi divinæ punctationem proprio Marte excogitatam, quàm eam à Deo unà cum ipſa lege accipere? Poſterius quidem hoc in Dei, legiſque divinæ, prius verò in Rabbinorum laudem ac honorem planè cedit. Nimirum ex punctis inveniendis, quàm ex illis divinitùs accipiendis uberior gloria comparatur. Sed punctiùs hanc objectionem contra univerſam Judæorum de punctorum origine hiſtoriam ab *Elianiſtis* factam, vel potiùs fictam, diſcutiamus diluamuſque, expedit.

(1.) Quæ ab omnibus, vel pleriſque, iiſque celeberrimis, communi calculo & ſuffragio comprobantur, ſi modò nec fidei principiis, nec rationis dictamini, nec ſenſui communi adverſentur, iis certè omnibus ſunt jure optimo anteferenda, quæ ab uno, vel altero privato proferuntur. Huic verò ſententiæ nihil planè ſubeſt, quod vel fidei Chriſtianæ principiis incommodet,

vel

vel quod rectæ rationis dictamini, nedum ſenſûs communis judicio repugnet. Summa enim ſententiæ hùc redit. Quòd Deus voluntatem ſuam hominibus patefacturus, fideique normam ac canonem conſignaturus, non ambiguitatis latebras, non æquivocationum Mæandros, non obſcuritatis ænigmata adhibuiſſe, nedum affectâſſe: ſed pro ſumma, quâ eſt, φιλανθρωπία, ita verbum ſuum certo, & determinato cœleſtis doctrinæ ſenſu per puncta vocalia & accentualia inſtruxiſſe, ut ab omnibus legi ac intelligi poſſet. Quid igitur *L. Capello* & ejus aſſeclis in mentem venerit, quidve illis ſuaſerit, ut totam Hebræorum gentem hujuſmodi ſententiæ ſuffragantem ſuggillarent ejuſque fidem non tantùm ſuſpectam haberent, ſed unius *Eliæ Levitæ* teſtimonio poſtponerent, equidem conjectare nequeo. Rabbinorum certè teſtimonia oraculorum vim apud me haud unquam obtinuerunt, nec ſum is, qui *Rabbinologemata* pleraque vel nuce vitioſâ emerim: attamen in quæſtione de facto habitâ, plus ponderis, omnium Judæorum teſtimonia, quàm unius *Rabinelli* captandi nominis ardore laborantis teſtimonium, habere cenſenda ſunt.

(2.) Quæ rebus publicè geſtis privati perhibent teſtimonia, non ſunt (utì fingunt *Eliani*) domeſtica & ſubleſtæ fidei, ſed, ſuppoſitis ſupponendis, fide digna, & veri nominis authentica. Scilicet cùm privati de iis, quæ in rem ſuam ac laudem faciunt, teſtimonium perhibent, non eſt quòd faciles iis fidem præſtemus, niſi res ipſa aliunde comprobetur: ſed cùm de cauſa

Publica, quæ non eſt propriè hujus vel illius, ſed omnium, privati teſtantur, qui hoc caſu fidem eorum ſuſpectam habet, næ ipſe dignus eſt, cui omnes fidem derogent, omniaque ejus teſtimonia ſibilis excipiant. Nimirùm ſi ratio adducta, eo, quo vellent *Eliani*, modo, valeret, de omnibus ferè quæ extant hiſtoriis, res eſſet conclamata! Nemini enim hiſtoricorum res patrias deſcribentium, & ad poſteros tranſmittentium (iſtiuſmodi ſaltem res, quæ ad gentis ſuæ gloriam faciunt) ex hypotheſi *Capellianâ*, fidem adhibere licet: quod quàm abſonum, quàm puerile, quàm à lege quâ omnes ad invicem obſtricti tenemur Charitatis, alienum, nemo non videt. Quis unquam ſanæ mentis, de rebus Græcis & Romanis, Scriptores Græcos & Romanos conſulere dubitavit? Quis fidem illis adjungere de rebus, quæ ad gentis ſuæ gloriam fecerunt, ſcribentibus adhuc recuſavit? Quis tandem omnia, quæ Scriptores tum Græci, tum Latini de ſua cujuſque natione memoriæ prodiderunt, in numero affaniarum & rerum commentitiarum repoſuit? Non ita certè *Euſebius*; qui de *præparat. Evangel. lib.* 9. *cap.* 3. hæc cujuſque gentis hiſtorico indigenitali primas deferentia habet. Quemadmodùm ab Ægyptiis res Ægyptiorum, Phœniciorum à Phœnicibus, Philoſophorum à Philoſophis, Meditas à Medicinæ peritis diſcere convenit: ita ex conſequenti etiam ſtatuo, res Hebræorum patrias, non aliunde, quàm ex Hebræorum dictis eſſe repetendas.

(3.) Sed hiſce quid immoror, cum punctorum hoſtes ſe propriis transfigunt pennis, ac iſtiuſmodi

modi producunt rationem, quæ adeò ſententiæ, quam confirmatam vellent, ſuppetias non largiatur, ut planè ſtabiliat contrariam? Si enim Judæi in iis, quæ ad gentis ſuæ gloriam pertinent, haud æqui ſint arbitri, ſed pro nebulonibus & impudentiſſimis mendaciorum conſarcinatoribus habendi, tum certè de *Eliæ Levitæ*, & Judæorum omnium, ſi qui fuerint, in eadem ſententiâ, teſtimonio, punctorum inventionem *Maſorethis Tiberienſibus*, adſcribentium, actum eſt. Quid ita tandem? Quia tota Hebræorum gens, ex quo, Anathemate illo tremendo עין נקר, Deus illam percuſſit, nihil unquam aut ſuſcepit, aut perfecit, quod cum diviniſſima punctorum inventione comparari queat. "Quid quæſo magnificentius "(inquit Doctiſſimus *Owenus*) fingi poterat in "gentis honorem, quàm eorum nonnullos eâ "tuiſſe ſapientiâ, & ſenſûs Scripturarum peri"tiâ inſtructos, ut potuerint, eâ verò ſanctitate "& fidelitate ut voluerint, punctationem Bibli"cam, opus omnium conſenſu conſummatiſſi"mum & utiliſſimum, quod poſt homines natos "in lucem prodîit unquam, invenire & proferre? Ea certè eſt punctationis Hebraicæ excellentia, & ſumma utilitas, ut ad veram legendi intelligendique ſcripturarum rationem, ad authoritatem textûs ſacri conſervandam, illamque ab omnibus Adverſariorum exceptionibus vindicandam, ad venenata ſpicula, quibus Judæi ſacratiſſimum humani generis Redemptorem lancinatum vellent, retundenda, & ſummos denique Chriſtianæ fidei articulos ſtabiliendos; ut nihil aptius, efficacius nihil, dici, aut excogitari poteſt.

Suppoſito igitur, hanc punctationem *Maſorethas Tiberienſes* natione Judæos excogitâſſe, illis certè totus Chriſtianus Orbis nihil non debere cenſendus eſt: habetque tota Judæorum gens de quo, in hac cauſa, apud Chriſtianos omnes, jure optimo, glorietur. Scilicet, ſi iſtiuſmodi εὑρημα in gentis Judææ honorem minùs cedit, nihil humanâ induſtriâ elaboratum, in alicujus gentis gloriam unquam cedit. Teſtimonium igitur *Eliæ Levitæ* punctorum inventionem Rabbinis *Tiberienſibus* adſcribentis, non verò cæterorum Hebræorum, punctorum originem, vel Deo vel viris Propheticis acceptam ferentium, eſt domeſticum, in propria cauſâ latum; ac proinde, ex hypotheſi *Capellianâ*, nullius planè ponderis aut momenti. *Elias* enim non vi veritatis manifeſtâ adductus (quod volunt Adverſarii) ſed libidine honoris ſibi aucupandi, gloriæque Rabbinorum evaneſcentis conſarcinandæ ſtimulatus, punctorum inventionem non Deo, non viris propheticis, ſed *Maſorethis Tiberienſibus* adſcripſit. Atque ideò plùs valebit unius Judæi teſtimonium apud æquos rerum arbitros pro genuina punctorum antiquitate ſtabiliendâ adductum, quàm *Eliarum* mille, qui contra teſtantur, ſtatuuntque.

CAPUT.

CAPUT XIII.

In quo, ex eo, quòd nullum, præter puncta, medium legendi ſufficiens unquam habuerunt Judæi, colligitur, ipſam punctationem liberis fuiſſe coævam.

(10.) NEC certè caret pondere argumentoſo, quòd præter puncta hodierna, nullum unquam habuerunt Judæi ordinarium medium ſufficiens, cujus ope ac adminiculo genuina Scripturarum lectio conſervaretur, ac ad poſteros, per cuncta temporis futuri ſecula, ſartaque tectaque tranſmitteretur. Si quod habuerunt, illud vel matres (quas vocant) lectionis, vel orationis ſeriem, vel denique oralem fuiſſe traditionem, oportet: quartum à nemine, quem contigit mihi vidiſſe, aſſignatur; nec facilè aſſignari poteſt, niſi fingamus licet, omnes ad unum Judæos, Θεοπνεύστως legiſſe, & pro medio legendi ordinario, auxilio Spiritûs Sancti extraordinario uſos fuiſſe, quod nemo ſobrius (ne dicam mentis compos) opinor, fingere non verecundabitur, quippe quod manifeſtò implicat.

Matres igitur lectionis, orationis ſeries, & oralis traditio ſunt hîc examini ſubjicienda, ut compertum tandem habeamus, nullum ex hiſce medium ordinarium ſufficiens unquam fuiſſe, quo vera ſacri codicis lectio conſervari, & ad poſteros tranſmitti potuerit.

(1.) Matres lectionis quod attinet, illas pro Medio veram Scripturarum lectionem conſervandi ac ad poſteros tradurendi ordinario ſufficientique aſſignant *Ludovicus Capellus*, *Arcan. punct. lib.* 1. *cap.* 18. D.D. *Prideauxius*, *Lect.* 12. *pag.* 189. & D. D. *Waltonus*, *Proleg.* 3. §. 50. cum aliis. Matres verò lectionis (ne neſciat Anagnoſtes) vulgò audiunt literæ iſtæ tres א ו י: ex quibus *Aleph* notâſſe a & e; *Vav* modò o, modò u indigitâſſe; *Iodh* denique, ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ, i, aliquando e deſignâſſe dicitur.

Reſpond. Matres (quas vocant) lectionis, nequaquàm pro Medio ordinario & ſufficienti conſervandæ genuinæ Scripturarum lectionis admitti debere, quæ ſubduntur rationum momenta, ſuadent.

(1.) Quia ex literis Hebraicis quænam, & quot fuerint Matres lectionis, punctorum hoſtes, conjunctis ſententiis, nondum ſtatuerunt. *Johannes Morinus* punctorum hoſtis acerrimus, quinque literas *Aleph*, *Vav*, *Iodh*, *He*, *Aiin*, olim vocalium loco uſurpatas fuiſſe contendit. *Gram. Samar. cap.* 13. & 14. *Ludovicus* ejuſdem commatis homuncio, non quinque, ſed quatuor tantum literas אהוי in priſca Hebræorum ſcripturâ vice & loco vocalium veniſſe docet. *Glob. cap.* 9. *pag.* 62. *Martinius* verò, *L. Capellus*, Clar. *Prideauxius* cum aliis, tres tantùm matres lectionis *Aleph* ſcilicet, *Vav*, *Iodh* aſſignant, quarum ope & ſubſidio, genuinam Scripturæ lectionem conſervatam fuiſſe, volunt. Quis autem in tanta rerum incertitudine, in tot ſententiarum divortiis Matres veras à falſis ac fictitiis diſcernere queat?

Salomone

Salomone redivivo opus eſt, qui tantas de matribus lectionis inter *Eliæ Levitæ* filios, componeret lites! Sed cùm de ipſo medio minùs conſtet, ex quibus & quot confletur literis, illud certè pro ſufficienti admittere noſtrum non eſt, donec quid & quale ſit, uno ore ſtatuant *Eliani*.

(2.) Quia matrum lectionis adminiculo, neque lectionis difficultatem, neque textûs Biblici incertitudinem tolli, ipſi fatentur *Eliani*. Cùm conſonantium pro vocalibus uſurpatio perdifficilis foret, viri qui *Tiberitæ* dicti ſunt, puncta & accentus adinvenerunt. *Lud. in Glob. cap. 9. pag.* 62. Sic *Quinquarboreus*; qui dicit ante punctorum inventionem lectionem contextûs Biblici fuiſſe admodùm difficilem, dubiam & incertam; licètque א ו י aliquando vocalium loco in contextu Biblico intercalarentur, non tamen, niſi à linguæ ſanctæ peritiſſimis potuiſſe dignoſci, an vocalium, an verò conſonantium vice fungerentur. *Ling. Heb. Inſtitut. cap. 2. pag. 7.* Sic *Bythnerus. Gram. Heb. pag.* 15. Imò & ipſe *Capellus*; quem confitentem habemus, non quemvis literarum iſtarum א ו י adminiculo potuiſſe expeditè legere, ſed prudentem & cordatum, qui Antecedentia, conſequentia, argumentum ſcripti, Scriptoris ſcopum, & conſilium, orationis ſeriem, ſtructuram, atque contexturam totam conſideret. *Arcan. punct. lib. 1. cap. 19. pag.* 180. An verò veriſimile ſit, quod Judæorum vulgus omnibus hiſce inter legendum, erat obſervandis, docti judicent. Si non, (quod certo certius) habemus tandem, quod ſumus expiſcati, Matres ſcilicet lectionis non olim fuiſſe, nec dum eſſe

Medium

Medium ordinarium ſufficiens, cujus ope ſacra Dei oracula legi poſſint. Adhæc, (quod Matres lectionis, genuinæ ſacri textûs lectioni dirigendæ conſervandæque multò magis inidoneas reddit) literas haſce א ו י ſæpe eſſe radicales, ſæpiùs verò verborum flexioni, nominum formationi, ac pronominum deſignationi inſervire, nôrunt Hebraicè docti. Quando autem hiſce funguntur officiis, quando contrà *Capellianam* vocalium operam præſtant, nemo doctorum certò divinare poteſt, nedum vulgus.

(3.) Quia voces in ſacris Bibliis occurrunt quàm plurimæ, quæ multò aliter ſunt legendæ, ac harum literarum א ו י præſentia ſuaderet. Voces per *Vav* ſcriptæ, ſæpe per i, non per u, ſunt efferendæ; ut in הוּא. Voces per *Iodh* ſcriptæ, aliquando per u non per i, ſunt legendæ; ut in הִיא. Voces denique per *Aleph* ſcriptæ, ſunt frequentiùs per o, non verò per a proferendæ; ut in פֹּה, לֹא; & in Futuris *Kal* & *Hiphil*. Quieſcentium *Pe Aleph*, ut אֹמַר אֹסִיף. Cùm igitur multarum vocum, quibus interſeruntur, rectæ pronunciationi, nequaquàm inſerviant, quid ſtultius, quàm illas pro Medio legendi Ordinario, vel remedio ἀζαναγνώσιας & παραναγνωσίας ſufficienti crepare? Quod in devia quæque & ſalebroſa abducit, ut rectæ ſacri textûs lectioni viam ſternat, complanatamque expediat, impoſſibile eſt.

(4.) Res tota ut compendefiat; vel per matres lectionis vocalibus deſignandis divinandiſque inſervientes, intelligunt punctorum hoſtes, eas ſolas,

ſolas, quæ exemplaribus hodiernis adſcribuntur: vel alias, quas fingunt jam olim è ſacro textu fuiſſe eliminatas, ut punctis addendis locum darent, eaque ſibi haberent ſuccedentia.

(1.) Si poſterius volunt, primitùs nimirùm literas א ו י omnibus in locis uſurpatas fuiſſe, in quibus recta pronunciandi ratio, earum adſcriptionem, vel inſertionem poſtulat, eaſque demùm è ſacri textûs finibus pulſas, ut punctationi Rabbinicæ cederent, tum auſim dicere, illos miſerè τὸ ἐν ἀρχῇ λαμβάνειν; imò & quod in ſacra Dei Oracula eſt maximè contumelioſum, & ſacrilegum docere. Sed huic figmento amoliendo, non eſt, quod hîc loci immorer; ejus enim vanitatem ſuprà detexi, multiſque diffiavi; quò lectorem candidum remiſſum volo. Vid. *cap.* 3. §. 6.

(2.) Sin prius volunt (quod quidem maximè volunt) literas nempe א ו י, quæ hodiè ſtationem in ſacris Bibliis obtinent, eorumque textui etiamnùm adhærent, nec plures, nec pauciores, vocalibus cujuſque dictionis deſignandis ſufficiſſe, tum profectò de hiſce, quod de carnali confidentiâ regius Propheta, dicere fas eſt. Brevius eſt ſtratum, quàm ſuper quod, vir ſe protendat: & ſtragula anguſtior, quàm in qua quis ſe colligat. Numerus enim vocum in quibus neque vola, neque veſtigium harum literarum א ו י occurrit, unde de vera lectione conjectare licet, eſt penè infinitus. *Capellus* quidem audax omnia in rem ſuam facientia fingere, non omiſſas eſſe in textu Biblico haſce literas vicarias, niſi iis in locis, in quibus à prudenti & cordato

lectore

lectore ſuppleri ac divinari facilè poſſunt, contendit. *Arcan. punct. lib.* 1. *cap.* 19. *pag.* 181. Sed (quod tanti viri manium pace, dictum ſit) planè aliter ſe res habet. Omittuntur enim quàm ſæpiſſimè iis in locis, de quorum rectâ lectione nemo hominum, niſi vel θεοπνευσίᾳ, vel præconceptâ iſtius ſenſûs, quem voces punctatæ fundunt, cognitione, vel hodiernâ punctatione inſtructus, certò divinare poteſt. Me verò hic ἀλογοδόξιν, & non *Capelli* inſtar ſomnia pro veritate in medium proferre, compertum habeat, qui inter legendum voces מְלֵאוֹת plenas, & חֲסֵרוֹת defectivas, in quibus una & altera iſtarum literarum א ו י deſunt, ubi adeſſe debent, obſervaverit. Ne quis verò in generalibus me verſari queratur, inſtantias aliquot, quæ mihi, dum hæc meditor, ſacra Biblia, pro officii ratione, quotidiè evolventi occurrerunt, lectori ob oculos ſubjiciendas putavi. In ſequentibus *Vav*, tertiæ perſonæ pluralis verborum, etiam & pronominis tertiæ perſonæ ſingularis Maſculinæ nota deficit, quorum vera lectio ſemotis punctis nullâ non ambiguitate laborat.

Gen. 1. 28. כִּבְשֻׁהָ pro כִּבְשׁוּהָ. 19. 16. וַיֹּצִאֻהוּ pro וַיֹּצִיאוּהוּ. *ibid* וַיְנִיחֻהוּ pro וַיְנִיחוּהוּ. 26. 7. יַהַרְגֻנִי pro יַהַרְגוּנִי. 41. 14.

Exod. 12. 8. יֹאכְלֻהוּ pro יֹאכְלוּהוּ.

Deut. 2. 21. וַיִּרְשֵׁם pro וַיִּרְשׁוּם. 28. 2. וְהִשִּׂיגֵךְ pro וְהִשִּׂיגוּךָ. 30. 18. תַּאֲרִיכֻן pro תַּאֲרִיכוּן. 32. 16. יַקְנִיאֻהוּ pro יַקְנִיאוּהוּ. & *ibid* יַכְעִיסֻהוּ;

יַכְעִיסֻהוּ ; pro יַכְעִיסוּהוּ . & *ver.* 38. וַיַּעְזְרֻכֶם ; pro וַיַּעְזְרוּכֶם .

Joſchu. 10. 27. 11. 8. 18. 12. 14, 19.

Judic. 15. 13. 16. 2, 7, 21. 43. in quo verſiculo *Vav* tertiæ perſonæ bis deficit. Item *ver.* 45. 21. 20.

1 *Sam.* 6. 2. 7. 3. 8. 8. 10. 23, 27. 12. 10. 13. 19. 17. 30. 23. 11. 25. 1. 28. 3. 30. 11, 21. 31. 3, 4.

2 *Sam.* 2. 32. 4. 6, 7. ubi *Vav* bis deficit. 6. 3, 4. 14. 15. 22. 5. ubi bis deficit *Vav.* Item *ver.* 44.

1 *Reg.* 1. 1, 53. 3. 26, 27. 5. 3. 9. 9. ubi *Vav* bis deficit. 12. 8, 13, 27. 18. 23. 20. 9, 33. 21. 10. ubi ter deficit *Vav.*

2 *Reg.* 2. 15. 7. 4. ubi *Vav* bis deficit. Item *ver.* 17. 8. 29. 9. 21, 27. 10. 27. 11. 18. 12. 16. 13. 9, 20. 18. 10. 20. 18. 22. 5. 25. 7.

1. *Paraleip.* 10. 3, 9. 12. 19. ubi bis deficit *Vav.* 13. 3. 15. 13. 19. 19.

2. *Paraleip.* 2. 6. 10. 8. 13. 10. 15. 2. bis deficit *Vav.* Item *ver.* 4. 16. 14. bis deficit *Vav.* 18. 25, 26. 22. 9. ubi *Vav* tertiæ perſonæ pluralis formativa, quater deficit. 23. 11. 25. 27. 28. 28. 27. 29. 6. 32. 21, 33. 33. 11. bis deficit *Vav.* *ver.* 24. 35. 24. ter deficit *Vav.* 36. 1.

Eſther. 7. 9. 9. 27.

Eſr. 10. 15.

Job. 2. 12. 3. 8. 27. 4. 8. 15. 24. 16. 16. 18. 11. ubi *Vav* bis deficit. 19. 15, 22. 20. 8. 28. 8. 37. 23. 40. 17. ubi *Vav* bis deficit.

Pſal. 61. 7. 73. 2. 89. 41. 145. 18.

Proverb.

Proverb. 2. 28. ubi *Vav* ter deficit. 3. 3. 11. 26. 19. 7.

Isa. 53. 4. 55. 6. 65. 1.

Jerem. 13. 22. 18. 15. 22. 6. 26. 19, 23. 28. 14. 29. 13. 37. 8. ubi *Vav* bis deficit. 39. 5. 48. 12, 26. 50. 6.

Lamentat. 2. 16. 4. 19.

Jechez. 19. 4, 9. ubi *Vav* ter deficit. 20. 40. 31. 8, 9, 12. ubi *Vav* ter deficit. 35. 12. 36. 21. 37. 22. 44 23.

Hos. 5. 15. 7. 10. 8. 7. 11 7, 12.

Jon. 1. 12, 15.

Zachar. 11. 5.

Eâdem scriptione anomalâ voces Biblicæ laborant quàm plurimæ, in quibus *Vav* vel primæ, ve tertiæ personæ pluralis exprimi debet: sed hisce, & hujusmodi innumeris recensendis supersedeo; quippe quæ cuique Contextum Biblicum attentiùs legenti, se produnt. Ex hisce verò vocibus defectivè scriptis, quas festinantis oculi observatio mihi attulit, luce meridianâ clarius est, Matres lectionis א ו י Medium legendæ, conservandæque Scripturæ, ordinarium & sufficiens non olim fuisse. Harum etenim literarum opera vicaria in contextu Biblico non observatur; ne quidem in locis maxime necessariis, de quorum rectâ lectione, nemo hominum, absque punctorum subsidio, certus esse queat.

(2.) De orationis igitur serie agamus, oportet, ut, an vices vocalium melius suppleat, atque earum defectum feliciùs compenset, certiores fiamus? In confesso est, quòd pleræque voces Hebraicæ, solis consonarum figuris scriptæ, varias

rias poſſint vocales admittere, ac varias proinde lectiones, variaſque ſignificationes; ſi modò per ſe ſolæ extra orationis contextum ſpectentur. Huic autem malo medendo panpharmacon conſtituit *Ludovicus Capellus*, orationis ſeriem, cui innixus aſſerit, quod variæ & multiplici ſingularum vocum lectioni repugnet, mutuus earum in orationis ſerie reſpectus, quem ad invicem ſanctiſſimè colunt. Habe, candide Anagnoſta, ejus de hac re verba, caveſis verò illa pro oraculis habeas. Voces (inquit *Arcan. punct. lib. 2. cap.* 22. §. 8.) quæ extra orationis ſeriem conſideratæ multiplicem poſſunt admittere punctationem in orationis ſerie collocatæ non niſi unam admittunt. Quòd ſi proferantur nonnulla Scripturæ loca in quibus varia punctatio varium quidem gignit ſenſum, ſed utrumque verum, commodum, aptum, antecedentibus & conſequentibus non malè cohærentem, analogiæ fidei non repugnantem, quid hîc fuerit periculi, ſi hic hanc punctationem, & cum punctatione ſenſum, alius aliam punctationem, & alium cum punctatione ſenſum amplectatur?

Reſpond. Medium quidem veræ lectionis conſervandæ eſt orationis ſeries, ſed iſtiuſmodi, cui ipſo *Argo* opus eſt, ut vera Scripturæ lectio, ejus adminiculo tandem erui queat. Quia verò plures à veritatis tramite abduxerit, aliquot rationis momenta ſubdenda putamus, quæ orationis ſeriem pro medio legendi ſufficienti, admittamus; prohibent, atque efficaciùs deterrent.

(1.) Quia medio hoc admiſſo, totus naturæ ordo

lectore ſuppleri ac divinari facilè poſſunt, contendit. *Arcan. punct. lib.* 1. *cap.* 19. *pag.* 181. Sed (quod tanti viri manium pace, dictum ſit) planè aliter ſe res habet. Omittuntur enim quàm ſæpiſſimè iis in locis, de quorum rectâ lectione nemo hominum, niſi vel Θεοπνευσία, vel præconceptâ iſtius ſenſûs, quem voces punctatæ fundunt, cognitione, vel hodiernâ punctatione inſtructus, certò divinare poteſt. Me verò hic ἀλαζόνα, & non *Capelli* inſtar ſomnia pro veritate in medium proferre, compertum habeat, qui inter legendum voces מְלֵאוֹת plenas, & חֲסֵרוֹת defectivas, in quibus una & altera iſtarum literarum א ו י deſunt, ubi adeſſe debent, obſervaverit. Ne quis verò in generalibus me verſari queratur, inſtantias aliquot, quæ mihi, dum hæc meditor, ſacra Biblia, pro officii ratione, quotidiè evolventi occurrerunt, lectori ob oculos ſubjiciendas putavi. In ſequentibus *Vav*, tertiæ perſonæ pluralis verborum, etiam & pronominis tertiæ perſonæ ſingularis Maſculinæ nota deficit, quorum vera lectio ſemotis punctis nullâ non ambiguitate laborat.

Gen. 1. 28. כִּבְשֻׁהָ pro כִּבְשׁוּהָ. 19. 16. וַיֹּצִאֻהוּ pro וַיֹּצִיאוּהוּ. *ibid* וַיְנִיחֻהוּ pro וַיְנִיחוּהוּ. 26. 7. יַהַרְגֻנִי pro יַהַרְגוּנִי. 41. 14.

Exod. 12. 8. יֹאכְלֻהוּ pro יֹאכְלוּהוּ.

Deut. 2. 21. וַיִּרְשֵׁם ; pro וַיִּרְשׁוּם. 28. 2. הִשִּׂיגֵהּ ; pro הִשִּׂיגוּהּ. 30. 18. תַּאֲרִיכֻן pro תַּאֲרִיכוּן. 32. 16. יַקְנִיאֻהוּ pro יַקְנִיאוּהוּ. & *ibid* יַכְעִיסֻהוּ ;

יְכַעֲסוּהוּ ; pro יְכַעֲסוּהוּ . & *ver.* 38. וַיְשׁוֹרְכֵם ; pro וַיְעוֹרְכֵם .

Joſchu. 10. 27. 11. 8. 18. 12. 14, 19.

Judic. 15. 13. 16. 2, 7, 21. 43. in quo verſiculo *Vav* tertiæ perſonæ bis deficit. Item *ver.* 45. 21. 20.

1 *Sam.* 6. 2. 7. 3. 8. 8. 10. 23, 27. 12. 10. 13. 19. 17. 30. 23. 11. 25. 1. 28. 3. 30. 11, 21. 31. 3, 4.

2 *Sam.* 2. 32. 4. 6, 7. ubi *Vav* bis deficit. 6. 3, 4. 14. 15. 22. 5. ubi bis deficit *Vav.* Item *ver.* 44.

1 *Reg.* 1. 1, 53. 3. 26, 27. 5. 3. 9. 9. ubi *Vav* bis deficit. 12. 8, 13, 27. 18. 23. 20. 9, 33. 21. 10. ubi ter deficit *Vav.*

2 *Reg.* 2. 15. 7. 4. ubi *Vav* bis deficit. Item *ver.* 17. 8. 29. 9. 21, 27. 10. 27. 11. 18. 12. 16. 13. 9, 20. 18. 10. 20. 18. 22. 5. 25. 7.

1. *Paraleip.* 10. 3, 9. 12. 19. ubi bis deficit *Vav.* 13. 3. 15. 13. 19. 19.

2. *Paraleip.* 2. 6. 10. 8. 13. 10. 15. 2. bis deficit *Vav.* Item *ver.* 4. 16. 14. bis deficit *Vav.* 18. 25, 26. 22. 9. ubi *Vav* tertiæ perſonæ pluralis formativa, quater deficit. 23. 11. 25. 27. 28. 28. 27. 29. 6. 32. 21, 33. 33. 11. bis deficit *Vav.* *ver.* 24. 35. 24. ter deficit *Vav.* 36. 1.

Eſther. 7. 9. 9. 27.

Eſr. 10. 15.

Job. 2. 12. 3. 8. 27. 4. 8. 15. 24. 16. 16. 18. 11. ubi *Vav* bis deficit. 19. 15, 22. 20. 8. 28. 8. 37. 23. 40. 17. ubi *Vav* bis deficit.

Pſal. 61. 7. 73. 2. 89. 41. 145. 18.

Proverb.

Proverb. 2. 28. ubi *Vav* ter deficit. 3. 3. 11. 26. 19. 7.

Iſa. 53. 4. 55. 6. 65. 1.

Jerem. 13. 22. 18. 15. 22. 6. 26. 19, 23. 28. 14. 29. 13. 37. 8. ubi *Vav* bis deficit. 39. 5. 48. 12, 26. 50. 6.

Lamentat. 2. 16. 4. 19.

Jechez. 19. 4, 9. ubi *Vav* ter deficit. 20. 40. 31. 8, 9, 12. ubi *Vav* ter deficit. 35. 12. 36. 21. 37. 22. 44 23.

Hoſ. 5. 15. 7. 10. 8. 7. 11 7, 12.

Jon. 1. 12, 15.

Zachar. 11. 5.

Eâdem ſcriptione anomalâ voces Biblicæ laborant quàm plurimæ, in quibus *Vav* vel primæ, ve tertiæ perſonæ pluralis exprimi debet: ſed hiſce, & hujuſmodi innumeris recenſendis ſuperſedeo; quippe quæ cuique Contextum Biblicum attentiùs legenti, ſe produnt. Ex hiſce verò vocibus defectivè ſcriptis, quas feſtinantis oculi obſervatio mihi attulit, luce meridianâ clarius eſt, Matres lectionis א ו י Medium legendæ, conſervandæque Scripturæ, ordinarium & ſufficiens non olim fuiſſe. Harum etenim literarum opera vicaria in contextu Biblico non obſervatur; ne quidem in locis maxime neceſſariis, de quorum rectâ lectione, nemo hominum, abſque punctorum ſubſidio, certus eſſe queat.

(2.) De orationis igitur ſerie agamus, oportet, ut, an vices vocalium meliùs ſuppleat, atque earum defectum feliciùs compenſet, certiores fiamus? In confeſſo eſt, quòd pleræque voces Hebraicæ, ſolis conſonarum figuris ſcriptæ, varias

rias poſſint vocales admittere, ac varias proinde lectiones, variaſque ſignificationes; ſi modò per ſe ſolæ extra orationis contextum ſpectentur. Huic autem malo medendo panpharmacon conſtituit *Ludovicus Capellus*, orationis ſeriem, cui innixus aſſerit, quod variæ & multiplici ſingularum vocum lectioni repugnet, mutuus earum in orationis ſerie reſpectus, quem ad invicem ſanctiſſimè colunt. Habe, candide Anagnoſta, ejus de hac re verba, caveſis verò illa pro oraculis habeas. Voces (inquit *Arcan. punct. lib. 2. cap.* 22. §. 8.) quæ extra orationis ſeriem conſideratæ multiplicem poſſunt admittere punctationem in orationis ſerie collocatæ non niſi unam admittunt. Quòd ſi proferantur nonnulla Scripturæ loca in quibus varia punctatio varium quidem gignit ſenſum, ſed utrumque verum, commodum, aptum, antecedentibus & conſequentibus non malè cohærentem, analogiæ fidei non repugnantem, quid hîc fuerit periculi, ſi hic hanc punctationem, & cum punctatione ſenſum, alius aliam punctationem, & alium cum punctatione ſenſum amplectatur?

Reſpond. Medium quidem veræ lectionis conſervandæ eſt orationis ſeries, ſed iſtiuſmodi, cui ipſo *Argo* opus eſt, ut vera Scripturæ lectio, ejus adminiculo tandem erui queat. Quia verò plures à veritatis tramite abduxerit, aliquot rationis momenta ſubdenda putamus, quæ orationis ſeriem pro medio legendi ſufficienti, admittamus; prohibent, atque efficaciùs deterrent.

(1.) Quia medio hoc admiſſo, totus naturæ ordo

ordo invertitur, qui ut ſenſus ex recta lectione, non contrà, ut ex ſenſu priùs cognito recta eliciatur lectio, poſtulat. Literarum & vocalium atque ex utriſque oriundæ lectionis eſt, in genuini cujuſque Authoris ſenſûs cognitionem nos quaſi manuducere: ſenſûs verò in rectæ lectionis cognitionem non item. Accidentalite r r i poteſt, ut quis ex ſenſu Authoris priùs cognito, ejus legat ſcripta, quibus legendis ſecùs impar omninò fuiſſet: ſed cùm non finis mediis, ſed media fini acquirendo ſubſervire debeant, nulli non cordato perpendendum damus, annon ex inſtituto res aliter ſe habeat? Scilicet ſummus literarum uſus hic eſt, ut ex vocum genuinâ lectione chartulis illitarum, cujuſque Scriptoris ſenſa percipiantur. Succinit *Hieronymus in Eccleſ. cap.* 1. Neceſſitate compellimur (inquit) ut crebriùs quàm volumus, de vocibus Hebraicis diſſeramus. Nec enim poſſumus (quod *N. B.*) ſcire ſenſum, niſi enim per verba diſcamus. Senſus igitur, *Hieronymo* judice, per verba, non verba per ſenſum, ſunt inveſtiganda.

(2.) Quia quod falſiſſimum ſupponit, ſenſum ſcilicet Spiritûs Sancti in ſacro codice loquentis non eſſe unum, ſed varium & multiplicem, pro variâ, quam loca obſcura, dubia, & ambigua admittunt, punctatione. Certè ingenio opus eſt illi valdè à Metaphyſico, qui cujuſque vocis Biblicæ & veritatem & bonitatem firmiſſimâ fide tenens, ejuſdem unitatem, quoad acceptionem formalem, ſuſpectam habet. Pontificii quidem præter ſenſum literalem, Myſticum, eumque triplicem, Allegoricum ſcilicet, Tropologicum,

&

& Anagogicum cuique Scripturæ loco audaciùs affingunt: ſed à Catholicis ſatis pro merito vapulant; adeò ſupervacaneum eſt, ut iis, qui cum Papicolis plures ejuſdem vocis Biblicæ ſenſus dari contendunt, redarguendis immorer. Mihi interim contra punctorum novitatem in Antidotum efficaciſſimam cedit illa, quam ſecum trahit ſenſûs Grammatici multiplicatio. Nam utì *R. Salomon Jarchi in præfatione in Cant.* ſcribit. *Hoc eſt.* אֵין לְךָ מִקְרָא יוֹצֵא מִידֵי פְּשׁוּטוֹ וּמַשְׁמָעוֹ Nullus egreditur verſus Biblicus ex ſenſu ſuo ſimplici & literali: ſed ſenſum habet literalem, eumque unum, certum, punctorumque carceribus adſcriptum & determinatum.

(3.) Quia pro conceſſo arripit, quod nulli fas eſt dare, nedum concedere, perinde ſcilicet eſſe, an ex diverſis, quos pro varia punctorum adſcriptione, voculæ quàm plurimæ admittunt, ſenſibus, hunc vel illum amplectamur, modò non ſit ridiculus, inſulſus, abſurdus, & apertè falſus. *Capel. Arcan. punct. lib. 2. cap. 22.* Nimirùm eadem eſt ſacri textûs, quæ ſermonis ratio. Verba loquentis non pro arbitrio, ſed ex ipſa Authoris mente ſunt interpretanda. Noſtrum certè eſt dare operam, ut Spiritûs Sancti mentem etiam in minimis aſſequamur, & ut idem planè ſenſus (non alius, commodior licèt, ac magis congruus noſtro judicio videatur,) quem ſacro textui Spiritus Sanctus indidit, à nobis inter legendum ac interpretandum ſemper proferatur. Non ſatis eſt ut lectio, quam amplectimur, nihil incommodi falſive in ſe habeat: ſed ut totum quod Spiritus Sanctus intendit complectatur, ejuſqu:

 men-

mentem ubique caſtè, & omni cum fidelitate exhibeat, oportet. Lectio iſta digna eſt, quæ παρεφμηνία æſtimetur repudieturque, non modò quæ contra, ſed etiam quæ præter Authoris mentem ſit. Sit exemplo. *Pſal.* 50. 23. שָׁם דֶּרֶךְ. ſi legas שָׂם דֶּרֶךְ ſignificat, ibi via: ſin שָׂם דֶּרֶךְ, ponit viam. Sic *Pſal.* 110. עַמְּךָ נְדָבוֹת. Si legas עַמְּךָ נְדָבוֹת ſignificat, populus tuus ſpontaneitates: ſin עִמְּךָ נְדָבוֹת, μετὰ σοῦ ἡ ἀρχὴ, uti 70. reddiderunt. *Id eſt*, tecum principatus. Sic *Deut.* 25. 19. תִּמְחֶה אֶת זֹכֶר עֲמָלֵק ſi legas וְכַר ſignificat, delebis Maſculum *Amalek*: ſin זֶכֶר, memoriam *Amalek*. In hiſce & hujuſmodi locis, certo certius eſt, Deum hunc vel illum disjunctivè intellexiſſe, non utrumque: utrum verò horum intellexerit, non ex orationis ſerie, ſed ex hodierna punctatione, compertum habere licet. Quandoquidem igitur orationis ſeries lectionem incertam, & Spiritûs Sancti mentem ſæpe pendulam, & planè indeterminatam relinquit, non eſt, quòd pro Medio genuinæ lectionis conſervandæ, & propagandæ ſufficienti habeatur.

(4.) Quia ipſe Authoris ſcopus, ipſaque orationis ſeries, & συναγωγὴ tota, quæ pro Medio legendi ſufficienti oſtentat *Capellus*, obſcuritate ſæpiùs laborant. Quis verò niſi mentis inops, ignoti per ignotius ſcientiam quæreret? Aut pro Medio ſeu principio legendi illud aſſignaret, cui intelligendo præter unum *Oedipum* nemo eſt? Frequentiſſimè accidit (ipſis punctorum adverſariis judicibus) quòd orationis ſeries, Authoris ſcopus, & mutuus verborum ad invicem reſpectus, ex

ex ipsa punctatione, non vice versâ, sunt petenda. Quando verò nos orationis series ita latet, quî tandem genuinam lectionem assequemur? Frustrà de jure disputas (aiunt J^ti) si verba legis non intelligas. Sic frustrà de Orationis serie, de Authoris scopo, de Spiritûs Sancti in Scriptura loquentis sensu, disputamus, si genuinam verborum singulorum lectionem minùs intellexerimus. Quotiès accidit, (uti scitatur *Buxtorfius*) ut ab unius & alterius vocis genuinâ lectione totus sententiæ alicujus sensus pendet, atque aliundè erui nequit? Quid si jam hæc vox punctis nudata sit πολύσημος & ambigua? quid si variam lectionem, (ut sæpiùs usu venit) & ex varia lectione varium sensum admittat? Nam iterum ad Authoris scopum, ad orationis seriem, & σωκρατικὴν nos remissos volunt punctorum hostes? Nugæ & febricitantis animi deliramenta! Supposito enim, & Authoris scopum, & orationis seriem nos latere, quid tandem auxilii ab ignotiori ad ignoti cognitionem comparandam; quid scilicet ab orationis serie minùs cognitâ, ad genuinam vocis alicujus ambiguæ lectionem, expectandum?

(5.) Quia ambiguitas vocum quàm plurimarum sæpiùs occurrit, nullâ orationis seriei inspectione, nullâ Authoris scopi consideratione, tollenda. Exempla sunt longè plura, quàm quibus lectorem cordatum onerare licet: iis igitur contenti, quæ *M. Marinus Brixianus* de hac re observavit, nos cætera missa faciemus. Neque mihi nunc objicias (inquit ille in *præfat. Arc. Noach*) usu & consuetudine vel etiam naturâ (ut

Eliæ placet) posse legi libros Hebraicos punctis destitutos, absque ullo dubio, ne decipiaris, ex diligenti scilicet consideratione verborum, tam Antecedentium, quàm Consequentium. Nam infinitæ sunt dictiones in Scriptura sacrâ, quæ etiam post diligentem considerationem vario modo, & variâ significatione possent legi: ut exempli causâ apud *Mosen* sæpiùs inveniuntur scripta צוִיתִם & עשִׂיתִם; & hujusmodi, quæ nisi esset punctorum cognitio, scribenda erant juxta mentem horum innovantium, cum litera Quiescenti עָשִׂיתִים צִוִּיתִים; nam aliàs ego semper legerem עָשִׂיתִם צִוִּיתִם; & præsertim apud *Mosen*, qui unâ eâdemque sententiâ, modò ex personâ Dei, modò ex suâ loquitur. Hactenùs *Marinus*; qui hujusmodi plura volet, sacras paginas consulat.

(6.) Quia divinus codex est divinus, istiusmodi scilicet qui res divinas, & omni captu humano sublimiores in se complectitur. Scripta quidem humana ex Antecedentium & Consequentium consideratione, minori cum hallucinatione, non punctata legi possunt, quippe quæ βαθυλικὰ & captui humano accommodata tractant: sed secùs in sacro codice res se habet, ubi quot verba, tot salutis mysteria, quot syllabæ, tot cœlestis imperii arcana, quot denique Apices, tot jura divina, intellectum omnem creatum superantia. Qui verò horum naturam absolutam minùs capiunt, frustrà sibi præsumptam relativæ eorum naturæ cognitionem adblandiuntur, quali hinc primò rectæ lectionis, tum verò rerum sub ista lectione comprehensarum periti repentè prodirent.

(7.) Quia

(7.) Quia denique ſacram Scripturam ita comparatam eſſe ſupponit hoc medium, ut à Nemine legi, minùs intelligi queat, niſi ab iis ſolis, qui tanto pollent tum ingenii acumine, tum rerum divinarum ſcientiâ, ut Antecedentia, Conſequentia, Authoris ſcopum, & totam ipſius ſcripti contexturam atque συναγωγὴν ſemper pro re natâ perſpecta habent. Verùm enim verò, hoc poſito, quid tandem de vulgo fiet, qui certè non rectam vocis ambiguæ lectionem ex hiſce, ſed ex recta lectione priùs cognitâ, hæc omnia expiſcari ſolet? Dato, viros quoſdam ſingulares, & in rebus divinis diu exercitatos hæc omnia tenuiſſe: de omnibus tamen omnis conditionis, ſexûs & ætatis, Judæis, idem dare nequaquàm licet. Quis enim induci poteſt, ut credat, omnes hoſce tam fuiſſe in rebus divinis exercitatos, tantâ cœleſtium myſteriorum cognitione inſtructos, ut nihil planè prædictorum ad veram vocis ambiguæ lectionem divinandam ex ſententiâ *Capellianâ* requiſitorum, illos lateret. Si ſacer Veteris Teſtamenti codex tantùm viris ſcientiâ ſingulari pollentibus, & in rebus divinis longè exercitatiſſimis legendus conſulenduſque fuiſſet, tum fortè aliqualem veri ſpeciem, hoc, quod obtendunt Adverſarii, haberet: ſed cùm eum Deus pro maximâ quâ eſt, φιλανθρωπίᾳ, ab univerſo *Iſraele*, à toto populo, viris, mulieribus, & parvulis, imò à peregrinis & proſelytis, legi & intelligi voluerit, orationis certè ſeries, quam homo vix centeſimus perſpectam habuit, non ſufficiebat, ſed tale aliquod medium neceſſarium fuit, quo uti omnes tam indocti, quàm docti, tam proſe-

lyti, quam natione Judæi quibant. Certo certius, hâc orationis ſerie, quam punctorum loco, pro Medio legendi ordinario & ſufficienti ſubſtituunt Adverſarii, vulgus Judæorum uti nequîit, nedùm Proſelyti: niſi hoc inſuper ſupponamus, omnes pariter Judæos & Proſelytos, fuiſſe Prophetas, omnes Doctores, omneſque dono aliquo legendi & interpretandi extraordinario inſtructos. Hoc cùm Adverſarii antiſtigmatici pro ea, quâ ſunt, confidentiâ, aſſeruerint, ulteriori forſàn conſideratione dignabimur. Nos interìm, iſtis quæ jam adduximus, argumentis freti, concludimus, Orationis ſeriem punctorum vicem ſupplere nequaquàm potuiſſe.

(3.) Reſtat tertium legendi medium ab aliquibus punctorum Adverſariis aſſignatum, quod veris rationibus expendere lubet, ut an fini ſuo aſſequendo ſit, innoteſcat. *Elias* igitur *Levita*, & qui ejus ſuperſtitioſiùs inhærent veſtigiis, duobus Mediis ſuprà poſitis parùm credentes, tertium è Rabbinorum quorundam ſterquiliniis ruſpati ſunt Medium. Illud autem eſt (nè neſciat lector cordatus hoc Ariadnæum filum, quo in omni difficilioris lectionis Labyrintho, ad cujuſque vocis ambiguæ ſenſum certò ducamur, utì volunt Antiſtigmatiſtæ) oralis traditio. Ea tandem ſpes eſt; uſque adeò neceſſe eſt, ut admiſſâ doctrinâ *Capellianâ*, non modò fides, ſed ut fidei norma, ſi quid certi verique exhibeat, ab orali traditione manus ſuas obſtetricatrices exporrigente, tota pendeat. Hoc tamen Κρηςουγέτῳ poſt *Eliam*, uſus eſt Clariſſimus *Waltonus*, *Proleg.* 3. §. 50. ubi confidentiùs aſſerit, cùm verſuum pauſas neceſſarias,

ceſſarias, tum veram Scripturæ lectionem, uſu & traditione Majorum, præſertim inſtitutione doctorum, & paucarum regularum generalium obſervatione, conſervari potuiſſe. Tota quæ huic ineſt opinioni Medulla hùc redit. *Moſen* cum reliqua lege orali veram Scripturæ licèt punctis omnibus deſtitutæ, lectionem, *Joſchuæ*, hunc ſucceſſori ſuo, & ſic conſequenter juxta cohærentiam catenæ *Cabaliſticæ*, quemque ſuo ſuccedaneo tradidiſſe uſque ad *Maſorethas Tiberienſes* poſt-Talmudicos, qui primi puncta tum vocalia tum accentualia invenerunt, & nè vera Scripturæ legendæ ratio prorſùs intercideret, ut ſacro codici infererentur, curârunt. Quibus igitur ſacrum veteris inſtrumenti codicem legere curæ cordique fuit, illos ex hac ſententiâ, quam præter *Eliam*, & *Capellum*, magni facit, meliori certè cauſâ dignus, Reverendus præſul D. D. *Waltonus*, ut oculos oralis traditionis collyrio inunctos haberent, atque hujuſce Rabbinocriſmatis conſpicillis uterentur, oportuit.

Reſpond. Sed collyrium hoc diluere, & conſpicilla hæc certè fallacia conterere, nec labor, nec opus eſt. Nam medium hoc

(1.) Hâc nititur falſâ hypotheſi, legem ſcilicet Moſaicam fuiſſe duplicem, aliam ἔγγραφον, ἄγραφον verò aliam. Hanc fateor legis diviſionem Rabbinos pleroſque omnes non tantùm admittere, ſed & patrocinandam ſuſcipere. Prioris poſteriorem paraphraſin, & genuinam conſtituunt interpretationem; aſſerúntque ex illis quidam, ſine lege orali, legem ſcriptam nec legi, nec intelligi poſſe. Sic præter *Moſen Mikkotſi in præfat. in*

Sapher Mitſvoth Gadhol, &c. *R. Bechai in Cadh hackemach* auſus eſt affirmare. עִיקַּר הַתּוֹרָה הִיא תּוֹרָה שֶׁבְּעַל פֶּה שֶׁאֵין תּוֹרָה שֶׁבִּכְתָב וְכוּלָּהּ לְהִתְבָּאֵר כִּי אִם עַל־יְדֵי תּוֹרָה שֶׁבְּעַל פֶּה:

Hoc eſt. Fundamentum legis ſcriptæ eſt lex oralis: nec enucleari poteſt lex ſcripta ſine lege Orali. Sed omnia hæc febricitantis ſunt inſomnia, & ſuperſtitionem olent planè Rabbinicam: iſtiuſmodi ſcilicet, quam ſciens volénſque nemo, niſi Chriſtianæ cauſæ proditor, admittat. Etenim legis hujuſce oralis prætextu, à genuino Verbi Dei ſenſu abducti, & illius figmentis planè Satanicis faſcinati, nulla non Theologiæ *Moſaicæ* præcepta irrita fecerunt Judæi, omnia in ſpumam, fumum, & venenum Næniarum putidiſſimarum transformantes. Huic tamen traditionum *Cabalæ*, tertium hoc legendi Medium innititur; quod igitur an æquum eſt, ut admittamus, eorum eſt judicio ferre, quos caſta & religioſa Verbi Dei tenet Ἀλάθεια. Miris certè modis Eccleſiæ Judaicæ olim periclitabatur, & etiamnùm Eccleſiæ Chriſtianæ periclitatur fides, ſi abſque iſtiuſmodi traditionum gloſſis ſacra Scriptura vulgo, & legendam & intelligendam haud ſemet accommodaret. Sed meliùs in ſacris literis Eccleſiæ & fidei, & ſaluti cautum eſt; in quibus pro Medio legendi intelligendique ſacri textûs, traditionis Oralis non major occurrit mentio, quàm *Thomæ Pollicis* fabulæ, vel divi *Georgii*, equo inſidentis, bellumque cum Dracone gerentis. Qui igitur hypotheſi huic traditionariæ, veram Scripturæ lectionem ſuperſtruendam eſſe contendunt,

dunt, digni ſunt, qui viro imprudenti & domum ſuam ſuper arenam ædificanti, aſſimilentur. Si tamen hypotheſi huic cabaliſticæ, illis adhuc inniti libitum fuerit, memoriam illis dicti *Hieronymiani* refricandam iterùm atque iterùm puto. Quod de Scripturis authoritatem non habet, eâdem facilitate contemnitur, quâ probatur. Nec non illius dicti *Baſiliani*. Φανερὰ ἔκπτωσις τῆς πίστεως, καὶ ἀπιστηφανίας κατηγορία, ἢ ἀθετεῖν τι τῶν γεγραμμένων, ἢ ἐπεισάγειν τὰ μὴ γεγραμμένα. *Hoc eſt.* Infidelitatis argumentum eſt, & ſignum ſuperbiæ certiſſimum, ſi quis eorum, quæ ſcripta ſunt aliquid velit rejicere, aut eorum, quæ non ſcripta ſunt, introducere.

(2.) Traditionem Oralem pro Medio conſervandæ lectionis ſufficienti admittere nolo, quia res eſt incertiſſima, *Vertumno* inconſtantior, & nullis non temporis injuriis obnoxia. Quis *Proteus* tot habet facies? quis *Chamæleon* tot unquam ſuſtinet formas & mutationes, quot in ſingulas horas oralis traditio? Uſque adeò inconſtans & veritatis fugax eſt Oralis traditio, ut in proverbium ferè inconſtantiæ tandem abiit.

Litera ſcripta manet, fugit irrevocabile verbum.

Teſtata ſunt id omnia tempora, & teſtatur etiamnum dies hodiernus. Quòd ſi igitur punctorum conſervatio ſoli traditioni accepta fertur, quilibet (inquit *Gerhardus*) facilè intelliget quàm infideli cuſtodi accepta feratur; & quàm lubricum Religionis noſtræ ſtatuatur fundamentum; imò quàm incerta & ruinoſa totius Chriſtianæ fidei

fidei inde fiat compages. Nam fundamento (ut Doct. *Buxt.* verbis utar) lubrico, & inſtabili poſito, fieri non poteſt, ut ædificium ſuperſtructum ſit firmum, certum, & ſtabile.

(3.) Conſervatio genuinæ ſacrarum literarum lectionis per Oralem traditionem facienda, ipſiſſimo Scripturæ fini adverſatur, & cum illo è diametro pugnat. Ideò enim, ut voluntas ejus literis conſignaretur, Deus curavit, quia illam traditioni Orali conſervandam ac propagandam noluit committere. Supponit igitur dogma hoc *Elianum* (quod longè falſiſſimum, atque ideò digniſſimum quod repudietur) Deum ſcilicet intendiſſe, ut traditio nos à legis ſcriptæ incertitudine, non contrà, ut lex ſcripta nos à traditionis Oralis incertitudine ſecuros conſervaret.

(4.) Hoc conſervandæ lectionis Medio admiſſo, conſtituuntur homunciones verbi Dei judices ac Domini, atque ita verus Scripturæ ſenſus ab eorum fidelitate unicè pendebit. Quod enim ipſis de Scripturæ tum rectâ lectione, tum genuino ſenſu viſum eſt tradere, id totum omni cum εὐλαβείᾳ, ſolâ hâc traditione fretos, recipere nos oportebit.

(5.) Nulla eſt memoria tam fœlix, quæ in tot ſyllabarum myriadibus omnes vocales, in tot mille verſuum pauſis accentus omnes diſtinguentes, per tantam temporis intercapedinem tenere poteſt. Quod enim ingenium, (inquit *Buxt.* pater *cap.* 9. *Tiber. pag.* mihi 91.) quæ memoria humana tot mille verſuum diſtinctas pauſas, tot millenarum vocum diſtinctam pronunciationem adeo accuratè

retinere

retinere potuit, ut in nullo membro, in nulla voce aut vocali, usque ad *Tiberienses* illos *Elianos Masorethas* sit erratum? Hâc quidem difficultate *L. Capellus*, licèt in verba magistri *Eliæ Levitæ* semper & ubique ferè jurare paratus, adeò se urgeri sensit, ut desertâ genuinæ lectionis conservatione cabalisticâ, *Cabalæque* Magistro, exclamat indignabundus. Nos non usque adeò puerilitèr deliramus, ut existimemus homines à *Mose* reliquísque Prophetis *Vet. Test.* scriptoribus ad *Masorethas* usque memoriâ tenuisse, & conservâsse omnes ad unum istos apiculos, qui jam in sacris Bibliis à *Masorethis* punctatis extant, quomodò puerulus, aut psittacus aliquis docetur & memoriâ tenet verba, & voces versiculósque aliquot, quos à præceptore didicit. Monstrum hoc foret, supra omnia prodigia portentosissimum; hoc foret commentum omni Tragelapho, & Chimærâ ipsâ longè prodigiosius. *Arcan. punct. lib. 2. cap. 21.* Tanti refert, ut puncta Hebraica sarta tecta conserventur, omniáque iis contraria averruncentur. Punctis enim è Medio sublatis incertæ ac deploratæ res *Vet. Test.* fiunt omnes: quandoquidem, quod certum lectionis veræ conservandæ medium ab uno statuitur, id Monstrum illusionis omni Tragelapho, ipsâque Chimærâ prodigiosius ab altero habetur.

(7) Denique non tantùm oportuit conservari veram ac genuinam Scripturæ lectionem, sed ita conservari, ut sit Authentica. At id nisi per litenas sacras, & puncta illis Θεοπνεύστως adscripta, nullo modo fieri potest. Certè per hoc medium quod *Elias*, & assecłæ ejus sequiores assignârunt,

per

per oralem ſcilicet traditionem non poteſt. Rectè *Theophylactus* ſub initio Evangelii ſecundum *Lucam*. ὐ γὰρ ἁπλῶς καὶ ψιλὴν παράδοσιν ἐισὶ τὰ τῆ χειςῦ: ἀλλ' ἀληθείᾳ, καὶ πίςει, καὶ μετὰ πάσης πληροφορίας. *Non ſimpliciter per nudam traditionem habentur ea, quæ ſunt Chriſti: ſed in veritate, & fide firmâ, & cum plena certitudine.* Quæ quidem verba opponunt ἀλήθειαν, veritatem, πίςιν βεβαίαν, firmam fidem, τὴν πληροφορίαν, plenam certitudinem, τῇ ψιλῇ παραδόσει, nudæ traditioni. Quid igitur ſibi volunt Adverſarii alia atque alia veræ lectionis conſervandæ media, pro arbitrio ſubſtituentes? Cur tergiverſantur? cur tumultuantur? Demus per Oralem traditionem, veram Scripturæ lectionem conſervari potuiſſe! Quid tum poſteà? Certè ſi ſic fuerit conſervata, cùm oralis traditio ſit in ſe res incertæ aleæ, authentica non eſt habenda. Quæ enim per Media incerta & fallacia probantur, plenam veritatis certitudinem non habent. Nôrunt omnes, concluſionem ſemper ſequi partem debiliorem. Qui igitur veram Scripturæ lectionem ſartam tectam conſervari volunt, non quidem fallaci oralis traditionis fulcro, ſed Mediis divinitùs ſuppeditatis, cujuſmodi ſola in hac cauſâ ſunt puncta Hebraica, innitantur, oportet.

CAPUT

CAPUT XIV.

In quo, ex eorum omnium, quibus punctorum inventionem adscribunt Adversarii, remotione, colligitur puncta esse literis coæva.

(11.) ARgumentum haud infimi momenti suppeditat Authorum, quibus punctorum inventionem adscribunt Adversarii, consideratio. Si enim puncta literis non fuerint coæva, sed ex quo Deus legem suam consignari curavit, sacro textui insulta, id operis certè vel ab *Esra* & viris Synagogæ Magnæ, vel à *Masorethis Tiberiensibus*, vel denique à *Ben Ascher*, & *Ben Naphthali* profectum sit, oportet; præter hosce enim Author nullus assignatur, cui punctorum inventionem, cum ulla probabilitatis specie, licet adscribere. Quod igitur ad jam enumeratos ex mente diversorum diversa sentientium, Authores attinet, nullum ex illis vel potuisse, vel voluisse puncta à se inventa sacro textui insulcire, verisimile est; atque ideò ut puncta, quibus hodiè Biblia sacra gaudent, originem teneant literis planè coævam, fas est. Nemo enim satagit, quod non vult; nemo facit, quod non potest: ultra velle, ultra posse, non datur esse.

(1.) Nullum ex hisce Authoribus puncta à se inventa sacro textui insulcire voluisse, verisimile est. Si enim id operis tentâsse censendi sunt, illud certè vel in bonum vel in malum finem tentâsse

tentâſſe illos oportet. Qui *Maſorethas* in malum finem, *hoc eſt* genuini ſacrarum literarum ſenſûs corrumpendi ergô, puncta ſacro textui inſeruiſſe affirmant, ſunt pauciſſimi: qui verò id facinoris *Eſræ* & viris Synagogæ Magnæ impingunt, planè nulli. Qui autem bonum in finem puncta ſacris paginis inſerta fuiſſe docent, ipſi nihil aliud, quàm veræ ſcripturarum lectionis conſervationem volunt: atque ideò cùm ſcripturam imperfectionis, tum Deum O. M. imprudentiæ audaciùs inſimulant. Si enim προσωδοποιΐα ſacræ literæ ita comparatæ ſunt, ut ab omnibus legi poterant, quorſum quæſo ſupervacaneum iſtud punctorum ἔυρημα? ſi non, & de Scripturæ perfectione, & de Dei Authoris ſapientiâ, ne actum ſit, equidem vereor. Sed cùm omnes quibus *mens ſana* eſt *in corpore ſano*, ab hac cogitatione abhorreant, hinc inferre licet, nullum ex ſupradictis authoribus puncta vel excogitare vel ſacro textui inſerere voluiſſe. Illos enim nihil in hoc negotio voluiſſe, quo poſito vel Scripturæ perfectio, vel Dei ſapientia ſolicitaretur, charitatis religio credamus, jubet.

(2.) Sed dato quoſvis ex prædictis Authoribus ſacri codicis punctationem in votis habuiſſe, quominùs verò voti compotes fierent, multa impediêrunt. Ut enim tanti momenti opus, quod ob novitatem, univerſali & veluti Oecumenico Judæorum omnium concilio atque ſuffragiis indiguerit, ullus ex Authoribus ſupra memoratis, ſuſcipere, ſuſceptum excogitare, excogitatum paſſim locorum ſpargere, & univerſæ nationi Judaicæ

daicæ commendatum reddere potuerit, insuperque obtinere, ut statim acceptatum & veluti divinum atque è cœlo delapsum oraculum, summâ cum veneratione, in sacras tabulas relatum esset, mihi quidem ἐν τῶν ἀδυνάτων videtur. Τὸ verò hujusce operis Ἀδύνατον ex pervicaciſſimâ Judæorum indole, & ejus-, quod semel arripuerunt, maximè in rebus sacris, tenaciſſimâ, & constat, & oriundum est. An verisimile est, illos passuros fuisse, eum sacri codicis describendi modum sibi eripi, quem per tot retrò acta secula sacrum habuerant? quemque à Deo ipso per *Mosem* & Prophetas acceperant? An ipsi permisissent, ut *Esra*, vel Rabbini post-Talmudici genus scribendi planè Θεόπνευστον è sacro codice expungerent, & aliud prorsùs novitium, substituerent? "Quot quantásque turbas existima-"mus Judæos excitaturos fuisse? quid non con-tra *Masorethas*, *Tiberienses* imò contra ipsum *Esram* molituros? Quæ tandem miracula suffeciſsent, ut Judæis persuaderet vel ex omnibus supradictis Authoribus optimus, se divino jussu, aut cum boni finis intentione, hoc punctationis opus suscepisse? Certo certius, si punctatio Biblica non fuisset literis coæva, sed ἕυρημα aliquod postnatum, pro eâ, quæ semper inter scribas & doctores viguit, æmulatione, aliqui extitisſent, qui operi isti se opposuissent, illudque suggillâssent. Verùm enim verò hoc punctationis opus apud Judæos omnes ubique terrarum peregrinantes, ad minimum usque apicem summam obtinuit authoritatem; quod minimè gentium fieri potuisse arbitror, supposito, punctationem

punctationem Hebraicam, non ex θεοπνευσίᾳ, sed ex inventione *Masoretharum Tiberiensium*, vel aliorum quorumvis hominum pro arbitrio puncta excogitantium fuisse profectam. Quid enim punctatorem tantâ cumularet authoritate, felicitate tantâ, ut ille suppressâ Judæorum pervicaciâ, doctorum ac scribarum arrogantiâ, totiúsque populi indole, traditionum suarum firmissimè tenacis, tam subitò omnium assensum & venerationem meruerit, & in lectionem punctis determinatam tam unanimiter conspirantes Judæos quotquot fuerint, omnes habuerit?

(2.) Sed quia alii hisce alii illis punctorum inventionem adscribunt, singulos igitur ex ordine sub examen revocare lubet, ut Spiritum Sanctum in *Mose* & Prophetis loquentem verum punctorum sacro textui insertorum Authorem fuisse, cæteros omnes fictitios & suppositicios, clariùs innotescat.

(1.) Ad *Esram* & viros Synagogæ Magnæ quod attinet, haud me fugit, viros olim extitisse & etiam num extare ad invidiam usque doctos, ad æmulationem pios, qui punctorum inventionem illis è Babylonia reducibus, & Ecclesiæ Judaicæ reformationem instituentibus adscribunt. Horum tanta me tenet reverentia, tantáque sententiæ, quàm ipsi fecerunt suam, ἐυλάβεια, ut in contrariam haud unquam pedibus iviſſem, nisi & religionis, & rationis me commoviſſet major authoritas. Nec est, quod quisquam mihi succenseat, quid in hac causâ sentiam, proferenti; quum non altercandi studio, sed veritatis, & religionis & rationis momentis suffultæ, amore impulsus,

impulsus, ego punctorum inventionem ab *Esra* & viris Synagogæ Magnæ profectam fuisse, negem.

(1.) Religio, quominùs *Esræ* & viris Synagogæ Magnæ punctorum inventionem adscribam, severiùs prohibet, idque non sine summo jure. Quid enim? Quia ipsa religio summâ afficitur injuriâ quotiescunque fingimus, ejus unicam Normam (cujusmodi olim fuit sacer *V. T.* codex) ita fuisse comparatam, ut maximâ laboraverit obscuritate, necnon multiplici æquivocatione, donec accedente punctatione *Esraiticâ*, densissimas tenebrarum nubes se exuit, tandemque ex obscurâ incertâ & æquivocâ, tum fidei, tum morum norma perspicua evasit, ac infallibilis. Nec huic malo medetur ista, quam aliqui obtendunt, linguæ sanctæ in populo Judaico vernaculeitas. Nam amotâ punctatione cujus solius beneficio, sensus verborum, quibus usus est Spiritus Sanctus, multiplex restringitur, atque ad unum coarctatur, eadem semper fuit vocum Hebraicarum apud Judæos æquivocatio, quæ apud nos. Imò ausim dicere majorem fuisse apud Judæos, quàm hodiè apud nos, æquivocationem, & majorem per consequens legendi sine punctis difficultatem, ob majorem vocum æquivocarum, eo quo lingua sancta fuit Judæis vernacula, tempore obtinentium, numerum; Judæi tunc temporis plurimas ex quâvis radice oriundas, & in usu quotidiano venientes voces consulere priùs necesse habuerunt, quàm de recta ullius vocis Biblicæ lectione statuere illis licuit: nos verò in tot studia nequaquàm scindimur, quippe

quibus voces Biblicæ, ex quo lingua ſancta deſiit eſſe vernacula, ſolæ reſtant conſulendæ.

(2.) Ratio, quominùs *Eſræ* & viris Synagogæ Magnæ, punctorum inventionem adſcribam, quoque prohibet. Multa enim rationis momenta ex intimis hujuſce linguæ viſceribus ſuprà petuntur, quæ puncta literis coæva fuiſſe efficaciùs evincunt, quàm ut eorum originem *Eſræ* & *Symmyſtis* adſcribere liceat. Hîc verò paucula, quæ *Eſram* & *Symmyſtas* è *Babylonia* reduces, vocalium & accentuum notas non inveniſſe ſuadent, ſunt ſubjicienda.

(1.) Hæc, iſtiuſmodi licèt, quam viri graves doctique ſunt amplexati, opinio petit principium. Hujuſce enim opinionis fautores pro conceſſo arripiunt, minimè verò rationum momentis evincunt, puncta ante-Eſraitica fuiſſe nulla: quod tamen priùs probandum illis incumbit, quàm punctorum inventionem *Eſræ* & *Symmiſtis* adſcribere liceat.

(2.) Teſtimonia Rabbinorum quorundam, à quibus unicè pendet hujuſce opinionis (ſiqua eſt) authoritas, non ſola ſufficiunt dogmati tanti ponderis ſtabiliendo. Firmum ſit oportet & ſtabile fundamentum, cui genuinæ, totius veteris Teſtamenti, lectionis innititur ſuperſtruitúrque ædificium. Utut Rabbinorum teſtimonia, conjecturas incertiſſimas, & homuncionum inſomnia vaniſſima punctorum inventionem *Eſræ* & *Symmyſtis* audaciùs adſcribentium, tot validis argumentis punctorum antiquitatem literis coævam adſtruentibus, quæ ſuprà adduximus, præponenda eſſe, nemo, ſiquid auguror, niſi incautus facilè

cilè concedet. Quominus verò ego, quæ in hâc cauſâ à Doctioribus proferuntur, teſtimoniis acquieſcam, quæ ſubjiciuntur, prohibent conſiderationes.

(1.) Quia teſtimonia iſta, quæ oſtentant, recentiora ſunt, quàm quæ tantæ liti dirimendæ ſuppetunt. Quis *Ephodæus*? Quis *Abrabaniel*? Quis *Benchajim*? Horum certè antiquiſſimus in hâc vitæ ſcenâ prodiit, non niſi poſt mille ab extincto *Eſra*, cui punctorum inventio tribuitur, annos. Nihil igitur ad hanc opinionem ſuffulciendam, nihil ad eam quæ punctis antiquitatem literis coævam adſcribit, enervandam, per ſe ſufficiens, ab iſtiuſmodi teſtibus expectandum. Siqui producerentur Rabbini *Eſræ* & *Symmyſtis* coætanei, vel eorum ſeculo proximi, eorum certè teſtimonium & authoritas aliquid ponderis meritò ſibi vendicaret: ſed quùm omnes, quorum, hujuſce opinionis patroni adducunt ſuffragia, ſunt planè recentes, nihil ἀυτοψία comprobantes, traditione Catholicâ, pro ea quod audaciùs affirmat, nullâ nitentes, nulla eorum teſtimonia mihi videntur magni facienda.

(2.) Quia Rabbinis ſuper hac re neutiquàm inter ſe convenit. Non deſunt enim ex Rabbinis & Hebræorum Doctiſſimis, quorum teſtimoniorum vi, vim veritati à ſupradictis Rabbinis illatam repellere licet. Hujuſce quidem opinionis (quam coarguendam ſuſcepimus) authoritas à Rabbinorum quorundam teſtimoniis tota pendet: ſed de ejuſdem authoritate actum ſit oportet, ubi teſtimonia à quibus pendet, ex aliorum nihilo minùs doctorum atque fide dignorum teſti-

moniis contradicentibus convelluntur prorsùs fiuntque nulla. Asserunt quidem Rabbinorum nonnulli, *Esram Symmystásque* puncta excogitâsse, eáque à semetipsis excogitata codici sacro affixisse: sed cæteri plerique omnes inficias eunt, illos id operis unquàm confeciſſe. Cur autem illis affirmantibus, potiùs quàm hiſce negantibus, fides adhibeatur, ſiquid ego judico, non eſt. Eſto, quod ſint

——— *Arcades ambo,*
Et cantare pares, & reſpondere parati.

Quandoquidèm verò noſtra quàm plurimis rationum momentis, adverſa nullis ſuffulciatur opinio; teſtimonia certè punctorum inventionem *Eſræ* & *Symmyſtis* adſcribentium, cum illorum qui contrà ſentiunt, pari paſſu incedere neutiquàm ſunt cenſenda. Utcunque, ubi in teſtimoniorum itur divortia, nihil ponderis, nihil ad cauſam controverſiis implicitam dirimendam per ſe ſufficiens, inde expectare licet.

(3.) Quia omnia forſàn hæc teſtimonia alium admittunt ſenſum, ab eo quem primâ fronte præ ſe ferre videntur, diverſum: *Eſram* ſcilicèt & *Symmiſtas* non fuiſſe primos punctorum inventores, ſed eorum inſtauratores & vindices ſe præſtitiſſe. Ita viſum eſt *R. Aſariæ* in *Meor Enajim*, qui poſt ſuam de punctorum antiquitate literis coævâ, ſtabilitam ſententiam, quærenti, quî factum fuerit, ut puncta literis coæva tam rarò uſurpata, & oblivione quaſi totali ſepulta fuerint? *Sic reſpondet*,

בעובם

בְּעוֹנָם אֶת־הַתּוֹרָה וְקָרְיאָתָהּ יִתְּכֵן שֶׁנִּשְׁתַּכְּחוּ נְקוּדוֹתֶיהָ עַד שֶׁבָּאעֶזְרָא וּבְהֵשִׁיבוֹ אֲלֵיהֶם אֶת־הַתּוֹרָה הֶחֱזִיר גַּם כֵּן נְקוּדוֹתֶיהָ.

Cùm *Iſraelitæ* legem deſeruiſſent & ejus lectionem, tum in oblivionem abîerunt puncta, donec veniſſet *Eſra*, qui cùm Iſraelitis reſtitueret legem, reſtituit ſimul puncta ejus. Si igitur hujuſce Rabbini obtineat ſententia, quidni teſtimoniis ex *Ephodæo*, *Abrabaniele*, & *Benchajim*, petitis reſpondere liceat, ea non primam punctorum inventionem, ſed eorum ab *Eſra* & *Symmyſtis* factam reſtitutionem reſpicere? Scilicet hoc teſtimoniorum admiſſo ſenſu, punctorum nimirùm figuras tempore Iſraelitarum è *Babylonia* reducum ab *Eſra* ac collegis non natas, ſed renatas, non tum primùm excogitatas, ſed in uſum vulgatiorem revocatas fuiſſe τὸ Ἐναντιοφανὲς è medio tolletur, & pleræque Rabbinorum de punctorum origine diſcrepantes ſententiæ conciliari & in gratiam revocari, vel facili negotio poterunt. Utcunque ſe res habet, argumentis agat, oportet, & validiſſimis rationum momentis, non nudis teſtimoniis, non Rabbinorum inſomniis, & ex eorum ſterquilinio ruſpatis anguriis, qui à me impetrare unquàm vellet, ut credam, puncta Hebraica, non fuiſſe literis coæva, ſed ab *Eſra* & Synagogæ Magnæ viris inventa, atque tandem, illis curantibus, ſacro textui infulta. Hîc verò (utì par eſt) lubens confiteor, viros iſtos graves doctiſſimóſque, qui punctorum inventionem *Eſræ*, & ejus è *Babylonia* reducibus adſcribunt *Symmyſtis*, optimè pro eo, quo flagrant, ſacra-

rum literarum Zelo, codici ſacro conſuluiſſe nec eſt, quòd, datâ hâc hypotheſi, timeamus, n *Vetus Teſtamentum* ſit res incertæ aleæ, ulti máque fidei noſtræ analyſis in auctoritatem hu manam fiat. Conſtat enim, *Eſram* & ejus *Sym myſtas* donis extraordinariis inſtructos, & in tot quam inſtituerunt, reformatione, Spiritu Sanct actos fuiſſe. Sed illos de facto puncta Hebraic inveniſſe, à meipſo, ut eredam, obtinere nondùm potis ſum, id licèt in votis maximè haberem. Doctiſſimos igitur, quos ſententiæ contrariæ tenet ἀλάζεια, mihi in proprio ſenſu abundanti libertatem indulturos eſſe ſpero, illóſque orato habeo; cùm ab eorum ſententiâ non niſi in vitus recedo. *Hanc veniam petimus, damuſqu viciſſim.*

(2.) Sed *Eſrâ* & Synagogæ Magnæ viris, pr merito, valere juſſis, quid *Maſorethæ Tiberienſe* in hoc præſtiterint negotio, ut diſquiramus, quorundam gloriatio, & de hiſce homuncioni bus concepta confidentia poſtulat. *Elias* quipp *Levita* ſeculi proximè elapſi Grammaticus, in præ fatione libro, cui titulum fecit, *Maſoreth Ham maſoreth*, præfixâ, de punctis Hebraicis primus ſtatuit, textum veteris inſtrumenti, iſtis nun quàm fuiſſe donatum niſi poſt completum utrum que *Talmud* ſub annum à Chriſto nato quingen teſimum: quo tempore tandèm puncta iſta, ex ejus ſententiâ, à viris quibuſdum Urbis *Tiberia dis* ſapientibus, ſive à Judæis quibuſdam doctiſſi mis *Tiberiade* Scholam Rabbinicam celebrantibus fuerunt inventa, atque genuinæ lectionis conſer vandæ ergô, ſacris literis inſerſperſa. Hanc

ſententiam

ſententiam nimiâ *Eliæ Levitæ* opinione laborantes, amplexi ſunt ex primis reformatoribus aliqui: illam verò traducendæ Scripturæ libidine, tanquàm œſtro perciti, arripuerunt ex pontificiis quàm plurimi. Nemo autem ſententiam hanc *Elianam* majori ſtudio & contentione ſuſcepit patrocinandam, quàm ex Pontificiis *Johannes Morinus*, ex Evangelicis *Ludovicus Capellus*, & παλαιόφιλος noſtras D.D. *Waltonus*, qui cum D.D. *Prideauxio*, nihil ferè, quo huic patrocinentur ſententiæ, habent, præter ea, quæ ex *Ludovici Capelli Arcano*, fideli calamo exſcripſerunt, argumenta. Noſtri interim non eſt inſtituti omnia, quæ de *Maſorethis Tiberienſibus*, à ſummæ eruditionis viris moventur litigia, proſequi: qui ut ſibimet in hiſce ſatisfactum ſit, cupit, Cl. *Buxtorfii* Commentarium conſulat *Maſorethicum*, ubi quid in materiâ tantis circumfuſâ tenebris dici queat, videre eſt. Nos quod attinet, nihil certè nobis impreſentiarùm incumbit officii, præterquàm quòd iſtiuſmodi proferamus argumenta, quibus punctorum inventionem à *Maſorethis Tiberienſibus* abjudicare fas eſt. Huic autem conficiendo negotio è multis hæc pauca ſufficiant rationis momenta.

(1.) Quia in totâ Judæorum hiſtoriâ ne minima occurrit ſubmurmuratio, quâ freti ut punctorum inventionem Rabbinis *Tiberienſibus* adſcribamus licet; ſed altum de hoc facinore ab iſtiuſmodi viris ſuſcepto, ſilentium. Veriſimile nullo modo eſt, (inquit harum rerum callentiſſimus *Buxtorfius* pater) poſt quingenteſimum aut ſexcenteſimum à Chriſto nato annum, vel etiam

ulteriùs tòt potentes *Tiberiade* adhùc extitiſſe, qui omnium Judæorum in legendâ ſacrâ Scripturâ fuerint excercitatiſſimi, & tam novum, tam admirandum, tanti momenti circa ſacrarum literarum maximè ſobriam & arduam tractationem, inventum, ſine ullo teſte, ſine omni hiſtoriâ, ſine ullâ librorum hiſtoriâ, univerſæ Judaicæ nationi, imò toti mundo, cum quo verbum Dei communicatum fuit, aut communicandum, ceu divinum oraculum acceptandum tradiderint. *Com. Maſor. cap. 7. pag.* mihi 31. A veſtigiis paternis in hoc negotio, nè tranſverſum crinem diſcedit filius ſed eodem animi affectu correptus, exclamat mirabundus. Mirum etiam mihi videtur, tam inſignis & nobilis facti authores, ità occultè latere potuiſſe, ut illorum & operis illorum fama atque memoria, æternitate meritò digniſſima, unà cum ipſis interîerit, & nè minimo quidem indicio in Commentarios ullos relata, atque ad poſteritatem propagata fuerit. *De Punct. Antiq. lib. 2. cap. 11. pag.* 383. Nimirùm tam magnificum eſt inventi punctatorii opus, tanta Judæorum nihil in gentis ſuæ gloriam ceſſurum, reticentium diligentia, ut fidem omnem mihi ſuperare videtur, iſtiuſmodi opus, ab hujuſmodi viris oblivioni dari, æternóque ſilentio damnari, unquàm potuiſſe. Hiſtoricorum hic eſt genius, & lex ſummè inviolabilis, ut quæ nova, admiranda, & humano generi utilia prodeunt opera, neutiquàm inſalutata prætereant, ſed rerum geſtarum inventarúmque Annalibus conſignent, poſteriſque prodant legenda. Si igitur Rabbini tam celebres poſt annum à Chriſto

nato

nato quingenteſimum *Tiberiade* vixerint ; atque opus ibidèm punctationis concinnârint, quid tandem in cauſâ fuerit, cur eorum operiſque ſuſcepti, nemo hiſtoricorum mentionem fecerit ? Cur de iis ipſoque opere tam ſtupendo ac nobili ne febriculoſus quiſquam Judæus vel ſomniando quicquam literarum monumentis conſecrârit ? Cur omnes in facinus jurati, & quaſi manu factâ conſpirârint, ut opus tam divinum lividas oblivione impunè carpere paterentur, cujus genuinam originem primoſque Authores memoriæ prodere, tanti illorum interfuerit ? Nùm credamus, hujuſce operis Authores hiſtoriographis Judæorum omnibus extitiſſe ignotos ? Quibuſnam igitur (ut Adverſarii verbis utar) hominibus vili aut noti fuerunt *Tiberienſes poſt-Talmudici* ? Quo in angulo punctationis opus excogitaturi, in quibus terræ cavernis, delituerunt ? Quòd ſi verò hiſtoricis noti, quænam cauſa fuerit, cur illorum minùs meminerint ? cùr opus ab illis profectum, adeò non meminerint, ut æternis oblivionis tenebris damnârint ? Nùm eò quòd nulla de punctis, eorumque auctoribus aliquid dicendi iis ſeſe obtulerit occaſio ? Imò verò illi ſæpiùs de punctis Hebraicis verba faciunt, eáque vel literis coæva, vel à *Moſe*, vel ſaltem ab *Eſra* & *Symmyſtis*, profecta fuiſſe, præter unum *Eliam Levitam*, affirmant, quotquot ſunt, omnes. Quid ad hoc argumentum Revelator, & fidelis ejus, in hoc negotio, exſcriptor ?

Object. Scilicet à *Maſorethis Tiberienſibus*, an ab aliis puncta inventa fuerint, an præciſè circa annum Chriſti ſexcenteſimum, vixerint, & floruerint,

ruerint, an verò fuerint posteriores, quot denique numero fuerint, an multi, an verò pauci, non multùm referre, modò divinis scriptoribus punctorum inventio non adscribatur.

Resp. Responsio planè est in summâ rerum omnium desperatione versantium: adeò supervacaneum est, ut quisquam illis in majores angustias adigendis operam navet. Sed tamen lectoris informandi ergò, regestum volo.

(1.) Pugiles hosce, quantiquanti fuerint, *Eliam Levitam* hîc loci deseruisse, causæque, quam ipse suscepit patrocinandam, valedixisse. *Elias* enim punctorum inventionem *Masorethis Tiberiensibus* post-Talmudicis, γνησιως ac in terminis adscripsit. *Capellus* verò & D. D. *Waltonus* argumenti suprà allati pondere oppressi, haùd eunt inficias, illum falsum fuisse, primos punctorum inventores Rabbinos quosdam *Tiberienses*, fuisse, eosque circa annum Christi quingentesimum punctationis opus instituisse, asserentem. Hæccine est concordia fratrum? Hæccine est, quam invicem colunt *Elianistæ*, amicitia?

(2.) Illos in hoc negotio esse ἀυτοσχεδιαστας, & ex propriæ opinionis Acropoli, argumenti ex historiâ Judaicâ petiti pondere, miseris modis deturbatos. Quamvìs enim *Elias* punctorum inventionem *Masorethis Tiberiensibus* circa annum suprà memoratum tribuentis, opinionem fecerant suam, quùm tamen ad hujusce argumenti à totius historiæ Judaicæ silentio desumpti, solutionem deventum est, vix temperant à palinodiâ canendâ: alter enim in assignatione temporis, & alter in assignatione personarum puncta excogitan-

excogitantium, hallucinatum fuiſſe *Eliam*, pro eâ, quâ urgebantur neceſſitate ineluctabili, concedunt. *Vid. Lud. Capel. Arcan. punct. lib.* 2. *cap.* 15. D. D. *Walt. Proleg.* 3. §. 55.

(3.) Hujuſce argumenti viribus cæteri omnes quicunque tandem aſſignati fuerint, à punctis Hebraicis conficiendis, præter ſolos viros propheticos, arcentur. Neque enim *Tiberienſibus*, neque *Babyloniis* Rabbinis nedùm uni & alteri viro quantumvis perito hîc vel privatìm agentibus (quod tamen *Ludovico Capello* viſum eſt, *Arcan. punct. lib.* 2. *cap.* 15.) punctationis excogitandæ opus, quiſquam hiſtoricorum adſcribere adhùc auſus eſt. Omnes ad unum uno ore clamant, punctationis opus eſſe θεῖον πρᾶγμα, non à Rabbinis poſt-Talmudicis, ſed à *Moſe*, & Prophetis, vel ſaltem ab *Eſra* profectum. Vim igitur hujuſce argumenti à Judaicæ hiſtoriæ ſilentio deſumpti, nequaquàm retundunt, *L. Capellus*, & Cl. *Waltonus*, ſed nugas agunt, cùm hoc regeſtum pro ſolutione volunt, ſe nihil morari, quinam fuerint primi illi punctatores, *Tiberienſéſne*, an *Babylonii*, an verò etiam alii? Neque an præciſè circa annum Chriſti ſexcenteſimum vixerint & floruerint, an verò ſint poſteriores, adeóque recentiores? Nedúm denique quot numero fuerint, multi an verò pauci, an unus atque alter, quibus etiam fuerint appellati nominibus? Aſſignent licèt *Tiberienſes*, vel *Babylonias Maſorethas*, multos, vel paucos, Anonymos, vel nominibus inſignitos, circa annum Chriſti ſexcenteſimum degentes, vel poſteriores, adeóque recentiores, de cauſâ tamen *Antiſtigmaticâ* conclamatum eſt.

Nemo

Nemo enim historicorum istiusmodi homuncionibus punctationis inventæ honorem unquàm detulit. Hoc sequi severiùs sugillandum duxerint, ipsas proferant tabulas, & non dictatoriâ prætumidæ fibræ confidentiâ, sed instantiis planè historicis, absque quibus nihil agunt, rem totam conficiant.

(4.) Quid multis immoror? exceptiuncula hæc nihil præter unum tum *L. Capelli*, tum D. *Waltoni* odium in punctationem Hebraicam iniquiùs conceptum, demonstrat. Ecquis etenim hominum, nisi puncta Hebraica in odio planè nove[illegible]cali habens, [illegible]erit cum *Capello*, se nihil morari, quinam fuerint primi punctatores? vel cum D. *Waltono*, non multùm referre an à *Tiberiensibus*, an verò ab aliis, puncta inventa fuerint, modò divinis Scriptoribus, non adscribantur? *Vid. L. Capel. Arcan. lib.* 2. *cap.* 15. & D. *Walt. Proleg.* 3. §. 55. Hoccine est punctationem justis laudibus prosequi? hoccine genuinæ sacri textûs lectioni consulere? hoccine Ecclesiæ Christi, punctationem Hebraicam, pro unicâ Veteris Testamenti legendâ normâ admittentis, fidelitatem celebrare? Adscribatur punctorum inventio *Tiberiensibus*, vel *Babyloniis*, maribus, vel mulierculis, imò hominibus vel Diabolis (quantum ex eorum verbis conjecto) per *Capellianistas* quidèm licet. Quippe illis nihil prius, nihil in votis potentius, quàm ut puncta Hebraica quoad originem divina, quoad opem quam lecturientibus præstant necessaria, ex Authentiæ solio deturbent, & omni fide, omnique honore debito æternùm spolient: quò tandem novo

Capelli

Capelli idolo, & Deastræ erraticæ, facultati nimirùm σοχασηῦ, aræ & preces deferantur, atque res tota Religionis, omniáque veritatis momenta ferantur accepta. Tanta est Odii humanis præcordiis insidentis vis, ad optima quævis, pro pessimis commutanda!

(2.) Puncta à Rabbinis *Tiberiensibus* non fuisse inventa indè liquet, quòd tempore, quo hoc facinus ex *Eliæ Levitæ* sententiâ institutum fuerit, nulli *Tiberiade* extiterunt Rabbini qui scholam celebrarent. Seculo post Christum natum quinto aut sexto absolutum fuisse punctationis opus, aliqui statuunt. Alii in annum à Christo incarnato septimum vel octavum id operis rejiciunt. Sed & res & nomen *Masorethārum Tiberiensium*, quibus tum institutionem, tum punctorum consummationem adscribunt *Elianistæ*, multis antè annis extinctum est. Auctor enim libri, cui titulus *Tsemach Davidh, de Hillele Hannasi*, qui anno Christi 340 vixit, celebréque apud Judæos pleroſque omnes obtinuit nomen, verba faciens dicit, (ובו יספקו הנסמכים בארץ ישראל) & in ipso desiêrunt promoti in terra *Israelis*, *fol.*47. Si ergò in *Hillele Hannasi* promotiones cessârunt Scholasticæ, quid verisimilius est, quàm quòd Scholæ, & publica docendi exercitia simul etiam desierunt, cùm dignitates istiusmodi sint quasi pabulum & Humidum Radicale, quibus omnia rectè conservantur, ac propagantur studia, Robur hùc indè accedit, quòd Hebræorum Chronica post hunc *Hillelem* nihil planè amplius de Scholis aut *Masorethis Tiberiensibus* memorant: nec mirum, cùm non *entis nulla sint Accidentia.*

Hoc

Hoc igitur *Elianiſtis* incumbit probandum, ullos *Tiberiade* durâſſe *Maſorethas*, ullum Scholarum florem, ad id temporis uſque, cui neceſſe habent punctationis conſummatæ opus adſcribere. Eò certè loci, ubi opus hoc confeciſſe perhibentur, omnes ferè Judæi, non ità multò antè, crudeli funere, *à Gallo Conſtantii* Imperatoris Legato, extincti ſunt. Veriſimile nullo modo eſt, poſt tantam cladem, quâ illos affecit & interfecit *Gallus*, Judæos ad *Tiberiadem* brevi confluxiſſe, ibidémque Scholas funditùs vaſtatas redintegrâſſe. Hoc certè prohibuerunt Judæorum inſurrectiones & diſſidia in Romanum Imperium totiès repetita, quibus ſe *Romanis* exoſos reddiderant: prohibuerunt quoque præfectuum cura & vigilantia, illos magno aliquo in numero diù conſiſtere, nequaquàm ſinentium. Tota igitur ſententia *Eliana*, nihil profectò videtur, quàm aliud ex alio figmentum. Hinc optimè dicit D. D. *Owenus*, *Maſorethas Tiberienſes* poſt-Talmudicos nullos fuiſſe, atque hujuſce ſententiæ, quam difflandam ſuſcepimus, Auctores, quò fingerent puncta à *Maſorethis* iſtis fuiſſe excogitata, finxiſſe priùs ipſos *Maſorethas*.

(3.) Ne argumentorum numerus nimiùm creſcat, ſuggeſſiſſe ſufficiat, *Rabbinos Tiberienſes* (ſi qui unquàm fuerint) ad opus punctationis excogitandæ aptos & idoneos nequaquàm fuiſſe. Extraordinarius ſit oportet, qui opus tanti momenti ſuſcipiat conficiendum. Quales quidèm fuerint *Rabbini Tiberienſes* inter omnes minùs convenit. Hi ſummis laudibus homunciones iſtos cumulant, atque omnia bona de eis dicunt: illi verò eorum

cum

cùm peritiam, tùm fidelitatem ſolicitant, illos fuiſſe genus quoddam hominum, ineptum, ſuperſtitioſum, pravum, & idololatricum, pleno ore clamitantes. Hîc vociferationes *Bellarmini*, *Johannis Morini*, & clamoſi *Huntlæi* cum *Gregorio de Valentia* in hodiernam punctationem eructatas, quâ Rabbinos vel ignorantiâ, vel odio occæcatos, ſacras veteris inſtrumenti paginas graviter corrupiſſe contendunt, miſſas facio: ipſe *Capellus* in libello iſto, in quo punctorum inventionem *Maſorethis* adſcribit, etiam atque etiam de bonâ eorum famâ detrahit, dum ἀβλεφίαν, ſcrupuloſitatem, atque ſuperſtitionem illis ſubinde objicit, ut videre eſt. *Arcan. punct. lib.* 1. *cap.* 11. *pag.* 74. *cap.* 13. *pag.* 94. *cap.* 17. *pag.* 156. & ſæpiùs alibi. Si genium & ingenium *Maſoretharum* κατὰ πόδα proſequi viſum fuiſſet, illos peſſimos fuiſſe nebulones, omni veri Dei religione vacuos, omníſque Chriſtianæ fidei odio plenos, evincere nullus dubitarem. Sed in propatulo res eſt. *Maſorethas* hoſce *Tiberienſes* fuiſſe genus hominum pravum, ſuperſtitioſum Deóque exoſum, neminem latet, præter illum unum, quem latet, illos fœdere divino per infidelitatem excidiſſe, filióque Dei ſalutifero, obſtinatè, præfractè, atque malitioſè ſe oppoſuiſſe. Qui abiſtiuſmodi homuncionibus punctata fuiſſe Biblia facili fide credat, næ ipſe plus animi ad audendum prompti, quàm conſilii habet. Sed ut hoc, quo uſus ſum, argumentum ſuum apud omnes obtineat pondus, verba D. D. *Lightfootii* argumento noſtro finitima hùc tranſcribere, viſum eſt. Sunt (inquit vir ille clariſſimus) qui punctata Biblia credunt

à Sapientibus *Tiberienſibus*. Ego impudentiam Judæorum, qui fabulam invenerunt, non miror: Chriſtianorum credulitatem miror, qui applaudunt. Recognoſce (quæſo) nomina *Tiberienſium*, à ſitâ illic primùm Academiâ, ad eam expirantem: & quidnam tandem invenies, niſi genus hominum præ Phariſaiſmo inſaniens, traditionibus faſcinans, & faſcinatum, cæcum, vafrum, delirum, ignoſcant ſi dicam, magicum, & monſtroſum? ad opus tam divinum, homines quàm ineptos, quàm ſtolidos! Perlege *Talmud Hieroſolymitanum*, nota qualiter illìc ſe habeant *R. Juda*, *R. Chamnath*, *R. Hoſchaja*, *R. Chaija Rubba*, *R. Chaija Barba*, *R. Jochanan*, reliquíque inter *Tiberienſes* grandiſſimi Doctores, quàm ſeriò nihil agunt, quàm pueriliter ſeria, quanta in ipſorum diſputationibus vafrities, ſpuma, venenum, fumus, nihil! & ſi punctata fuiſſe Biblia in iſtiuſmodi Scholâ potes credere, crede & omnia *Talmudica*! Opus Spiritûs Sancti ſapit punctatio Bibliorum, non opus hominum perditorum, excæcatorum, amentium. Hactenùs Doctiſſimus *Lightfoot* cujus verba argumentoſa, à *Rabbinis Tiberienſibus* Bibliorum punctationem nequaquàm prodiiſſe, tantùm non demonſtrant. Audet *Iſaacus Voſſius*, punctorum hoſtis iniquiſſimus, qui punctationem oneraturus mendaciis & convitiis, ipſos punctatores barbariei & imperitiæ damnat. Ab hominibus barbaris & etiàm in vernaculâ, quam jactant, linguâ, peregrinis, ecquid aliud, quam vitioſum, & ab omni ratione alienum potuit proficiſci? *Iſaac. Voſ. de Tranſl.* 70. *cap.* 30. *pag.* 97. Sed contrà, quandoquidem punctationis

punctationis opus ſit omnibus numeris abſolutum, & θεῖον π ubique ſpiret, illud, à tam ſtolidis, imperitis, & ſuperſtitioſis, quales fuerint, tum noſtro, tum *Elianiſtarum* judicio, *Maſorethæ Tiberienſes*, nequaquàm fuiſſe profectum, inferrè licebit.

(3.) Reſtat tandem argumentorum momentis evincendum, *Ben Aſcher*, & *Ben Naphtali* ex eorum numero minùs fuiſſe, qui puncta invenerunt Hebraica Bibliiſque addiderunt. Priùs verò lectorem certiorem faciamus oportet, quinam fuerint *Ben-Aſcher*, & *Ben-Naphtali*, quàm punctorum inventionem illis abjudicemus.

(1.) Rabbinos hoſce, quod attinet, *Elias Levita* in libro *Maſoreth*, *præfat.* 3. ſcribit, illos fuiſſe שְׁנֵי רָאשֵׁי יְשִׁיבוֹת, duo ſcilicet capita Academiarum. Alii illos ſcribas tantùm fuiſſe peritos, contenduntˌ qui lectioni Biblicæ accurandæ, omnibuſque Scripturæ exemplaribus emendandis, ut tandèm correctiora prodirent, operam navârunt; unde ipſi apud *Talmeſium* סוֹפְרִים, *hoc eſt*, Scribæ, audiunt. Prioris nomen, ſi plenè proferatur, fuit, *R. Aharon* filius *R. Moſis* è tribu *Aſcher*; poſterioris verò *R. Moſes* filius *Davidhis* è tribu *Naphtali*. Hic in *Babylonia* floruit, habuitque ſequaces in lectione vocum aliquot controverſarum Judæos Orientales: ille in terra *Iſraelis*, quem Judæi Occidentales, ſive *Hieroſolymitani* ſunt ſecuti in iis, de quibus inter hoſce duos ſcribas ortæ ſunt diſſenſiones, leves quidem, & quæ vocum paucillarum accuratam Scriptionem, non verò ſenſum earundem & ſignificationem, attingunt.

(2.) Hi quidem ſunt Rabbini, quibus abſolutè totam punctorum inventionem adſcribit *Gilbertus Genebrardus* in *Chronolog. lib.* 3. ad annum Chriſti 485: *Ludovicus* verò *Capellus* illis punctationis opus, non abſolutè, & ex toto, ſed ſecundùm quid, & ex parte duntaxat. *Arcan. punct. lib.* 1. *cap.* 17.

Reſpond. Sed hiſce Rabbinis in hoc punctationis inventæ campo, nec ſeritur, nec metitur. Punctorum enim inventionem, neque abſolutè, & ex toto, neque ſecundùm quid, & ex parte Rabbinis hiſce *Ben-Aſcher* ſcilicet, & *Ben-Naphtali* eſſe adſcribenda, rationes, quæ ſubduntur, invincibiliùs ſuadent.

(1.) Quia huic ſententiæ ſe totum oppoſuit *Elias Levita*, Novatorum Antiſtigmaticorum pater, dum libro ſuprà citato ſcribit, diſſidia inter *Ben-Aſcher* & *Ben-Naphtali* quæ tantùm ſunt de punctis, & Accentibus, non eſſe dubium, quin poſt inventionem punctorum & accentuum ſcripta ſint. Sed Revelator *Eliæ Levitæ* ſententiam ac cæterorum omnium deſpicatui habet, ubi à ſui cerebelli inſomniis diſſidet: nec flocci facit patris authoritatem; cujus tamen unius teſtimonium in hac cauſâ ipſe aliàs pluris faciendum putat, quàm omnium aliorum contrà ſentientium. Sed ex hac inter partem *Eliam*, & filium *Capellum* obortâ diſſenſione, ſpes aliqualis, cauſæ, quam ſuſcepimus patrocinandam, affulgere videtur. Dum ſinguli pugnant, univerſi vincuntur.

(2.) Quia nemo hiſtoricorum Rabbinis hiſce punctorum inventionem adſcribit. Scriptores certè

certè Hebræos habemus quàm plurimos ſub id tempus in vivis agentes, quo *Ben-Aſcher* & *Ben-Naphtali* vixiſſe, punctáque excogitâſſe perhibentur: quærò igitur (uti par eſt) quî fit, quòd nè unus quidèm punctorum inventorum illis honorem detulerit, vel tanti facinoris mentionem fecerit ullam: Meminerunt quidem, *Ben-Aſcher* & *Ben-Naphtali*, in punctorum aliquot Bibliis adſcriptorum correctionem, operam navâſſe: ſed Rabbinis hiſce, punctationis vel inchoatæ, vel conſummatæ opus adſcribere, nunquam cogitârunt. Hæc ſanè ſententia apud Hebræos eſt tam nova, tâmque inaudita, ut nihil ultrà. Sed habet forſan *Capellus*, quod omnibus Chriſtianorum atque Judæorum teſtimoniis ubique anteferat; hariolantis cerebri nimirum inſomnia, quibus per totum punctationis Revelatæ *Arcanum*, tanquam oraculis è *tripode* dictis indulget, primáſque in hac lite dirimendâ defert. Hiſce fruatur, per me licet: ego verò punctorum authoritati vindicandæ invigilans, moroſiorem me eſſe confiteor, quàm ut ſomnia *Capelliana*, pro argumentis admittam.

(3.) Quià ipſiſſimum opus, cui concinnando multum temporis impertierunt, planè contrarium evincit. Studia enim ipſorum *Critica* fuerunt, hùc ſolùm ſpectantia, ut Biblia ſacra tùm quoad voces, tùm quoad puncta prodirent emendata ut videre eſt in illarum vocum Catalogo, quem Bibliis Polyglottis ſubjunxit D. D. *Waltonus*. Diſſenſiones omnes, quæ inter *Ben Aſcher*, & *Ben-Naphtali* foventur, ſunt planè de vocibus jam anteà punctatis, non verò nunc primùm

punctandis, quod iſtas, conſulenti diſſenſiones facilè innoteſcat. Quippe nihil aliud oſtendunt, quàm Rabbinos iſtos de punctis & accentibus, ut textui ſacro, multò antè adſcriptis, judicâſſe, judiciíque ſui indicia appoſuiſſe, ut genuina cujúſque vocis ſcriptio æternùm conſervaretur. In hâc ſententiâ fuiſſe, præter Cl. *Hottingerum*, *Theſaur. Philolog. pag.* 403. & Doct. *Buxtorfium*, *de punct. pag.* 274. ipſum *Eliam Levitam*, ex præfatione 3 *Maſor. Hammaſ.* liquet.

(4.) Quia hi *Rabbini* longè recentiores ſunt, quàm ut operi punctationis ſupremam manum imponerent; vel (quòd aliqui volunt) ut primi punctorum *Auctores*, apud æquos rerum judices, unquàm audirent. Tempus, quo iſti floruerunt, circa annum 794 לפ״ק ſupputationis ſcilicet minoris, *hoc eſt* circa annum Chriſti 1037. fuiſſe ſcribit *R. Gedaljah* in *Schalſcheleth Hakkabbalah. fol.* 37. Quod ſi igitùr ante ſexcentos duntaxàt annos in lucem, hi irrepſerunt *Rabbini*, mirum ſanè, & planè quod implicat, narrant, qui illis punctorum ante multos annos jam exiſtentium, inventionem adſcribunt. Ex Auctore libri *Juchaſin*, & ex tota *Maſorâ* conſtat, exemplaria ad amuſſim punctata, ante mille circiter annos extitiſſe. Quid verò commercii excogitatorii tam notitiis & recentibus Rabbinis cum punctorum tàm ſacræ & venerabilis antiquitatis inventione? Prodigioſa planè eſt iſta Prolepſis, quæ priùs filium quàm patrem, priùs effectum, quàm cauſam, priùs opus, quàm Auctorem, in rerum naturâ ponit. Arrigite (quæſo) aures vos *Artis Logicæ* tenaces, & vel cauſæ noſtræ patrocinium

in

in vosmet suscipite : vel ipsum refigite Canonem, quo moniti adhuc credidimus, *Causam causato esse priorem.* Vixerunt quidem *Ben-Ascher* & *Ben-Naphtali*, sed non nisi multis, post puncta inventa, seculis ; illi igitur puncta non invenerunt, Consequens videtur adeò clarum, adeóque necessarium, ut nihil ultrà. Hactenus argumentum à remotione eorum omnium, quibus precariò, ne dicam falsò, pro cujusque præjudicio, punctorum adscribitur inventio, desumptum. Bonâ igitur cum illorum veniâ, qui contrà sentiunt, mihi inferre licet, puncta Hebraica fuisse literis coæva, Θεοπνεύστους que Bibliis affixa ; quia nondùm inventi sunt, ex quo sacratissimus Veteris Testamenti Canon evasit consignatus, præter solos Spiritûs Sancti Amanuenses, quibus eorum inventionem adscribere fas est. Ὅπερ ἔδει δεῖξαι : quod erat demonstrandum.

CAPUT XV.

In quo, ex iſtis, quæ contrariam ἀχωρίστως comitantur opinionem, incommodis, puncta Hebraica literis fuiſſe coæva probatur.

(12.) ULtimum noſtrum argumentum, Abſurdorum Syrma indigitat, quod indiſſolubili nexu ſecum trahit iſta punctorum novitas, quam ſibi audactèr finxit *Elias Levita*, fictámque infeliciùs ſuſceperunt patrocinandam, præter *Gordonium*, *Serarium*, *Genebrardum*, *Ludovicum*, *Stapletonum*, & *Morinum*, è Pontificiis: *Ludovicus Capellus*, Cl. *Prideauxius*, *Iſaacus Voſſius*, & D. D. *Waltonus*, è Reformatis. Nam puncta Hebraica, ſi literis non fuerint coæva, ſed pro *Elianiſtarum* ſententiâ, obſtetricantibus *Maſorethis Tiberienſibus*, poſt nata, Bone Deus, quanta incommodorum Sylva hinc brevi fruticeſcat! Rem totam paulò attentiùs introſpicienti, naribúſque emunctis percipienti, quæ ſubduntur, nullâque arte eludi poſſunt, Abſurditates è *Maſſa Eliana* protuberantes, facilè ſuboleant.

(1.) Fruſtraneam fuiſſe Legis, in veteri inſtrumento complexæ, promulgationem. Quorſum enim iſta promulgatio, quâ nihil certi promulgatur? quorſùm iſta lex, in quâ nihil ferè præter *Homonymias*, & *Amphibolias* legere fas eſt? quorſum tandem iſta Doctrina, quâ nihil determinatæ veritatis docetur?

(2.) Vulgus

(2.) Vulgus Judæorum à ſacri codicis lectione fuiſſe (quod longè falſiſſimum) excluſum. Quis enim unquàm induci poteſt, ut credat, populum Judaicum adeò fuiſſe peritum, tantâque facultate στιχασικῇ præditum, ut omnes cùm Accentus, tùm Vocales divinare poterat, quî in codicibus non punctatis neceſſariò erant divinandi; utpotè ſine quibus genuinus Scripturæ ſenſus elici nequiverit? Hìnc, *Papicolæ* plerique omnes, qui punctorum inventionem *Maſorethis Tiberienſibus* adſcribunt, Cognitionis clavem vulgo Chriſtianorum auferendi, populíque à ſacrarum literarum lectione arcendi, anſam arripiunt. Dicit enim *Hardingus*, cùm Scriptura Hebraica careat vocalibus, eo modo vulgus ab ejuſdem lectione excluſum fuiſſe, Dei quâdam ſpeciali providentiâ, ne Margaritæ ante porcos projicerentur. *Vid. Cham. Pauſtrat. Tom.* 1, *lib.* 10. *cap.* 8. §. 22. Eâdem oberrat chordâ *Morinus*, in Opuſculis Samariticis, *cap.* 15. Habent, fateor, Reformati, datâ punctorum novitate, quod Pontificiis oggannientibus reponant. Sed in tanti ponderis negotio, erga iſtiuſmodi Adverſarios, qui optimis quibúſque, in rem ſuam peſſimam abuti nôrunt, nimis liberales & prodigos noſmet præſtare, non expedit, nedùm (ſiquid ego auguror) tutum. *Dato uno Abſurdo, ſequentur mille.*

(3.) Senſum iſtum, quem lectio ex hodierna punctorum diſpoſitione oriunda, exhibet, Auctoritatem habere tantùm humanam, non verò divinam & Authenticam, qualem genuinus Scriptures ſenſus habeat, oportet. Quod genitum eſt ex carne, (dixit Mundi Salvator) caro eſt:

& quod genitum eſt ex Spiritu, Spiritus eſt. Sic; quod genitum eſt ex Rabbinis, Rabbinicum eſt: nihil planè divinum, niſi quod ex Deo fuerit profectum. Hinc, probare poſſe putat *Morinus*, cùm puncta incertorum hominum ſtudio, in omnibus fallibili, in nonnullis apertè falſo, ortum ſuum debeant, textum Hebraicum, Regulam, & normam fidei eſſe non poſſe. *Exercit. lib.* 1. *cap.* 2.

(4.) Deum dediſſe legem imperfectam; quià datâ punctorum Novitate, per aliquot annorum Centurias Codici ſacro pars aliqua eſſentialis defuit; advoculatio nimirùm ex ſolis punctis oriunda. Ita viſum eſt *Cevallerio*, *Gerhardo*, & aliis ad invidiam doctis, quorum aliàs mentionem fecimus.

(5.) Interpretationem Scripturæ omnem, quæ punctationi innititur hodiernæ, ab Eccleſiæ hoſtibus pendere. Hanccine fidei noſtræ fieri Analyſin, quâ omnia in Rabbinorum Auctoritatem ſunt reſolvenda? Quis Theologorum iſtiuſmodi *Maſorethis*, quos paſſim tanquàm homines ſuperſtitioſos ipſe *Capellus* depingit, ipſa verò veritas, tanquam Reprobos, deliros, & in facinus juratos, tantam Auctoritatem lubens concederet? Quantum ego capio, poſitâ punctorum novitate tota Scripturæ Auctoritas labaſcet, & judicio, non tantùm Eccleſiæ, quod Pontificii volunt, ſed Rabbinaſtrorum contra Chriſtum, Chriſtianámque Religionem malevolentiſſimè affectorum.

(6.) Neminem teneri obſtrictum, lectioni ex hodierna punctatione oriundæ fidem adhibere, eíque

eíque per omnia acquieſcere. Dato enim, *Maſorethas Tiberienſes* fuiſſe linguæ Hebraicæ peritiſſimos, cùm tamen homines adhùc fuerint, nullâ Auctoritate divinâ, Θεοπνευσία nullâ donati, nihil eſt, cur fidem, & Conſcientiam noſtram illis ſubjiciamus, nedùm lectioni iſtiuſmodi, quæ ab eorum arbitrio tota pendet. Quæ enim Religio (inquit *Polanus*) poſſit ullum promovere, ut judicet ſibi *Maſoretharum* lectioni eſſe acquieſcendum? Hic igitur *Bellarminus de Verb. Dei lib. 2. cap. 2.* contendit, quòd poſſumus, ſi velimus, puncta detrahere, & aliter legere. Quam quidem libertatem, ſeu potiùs licentiam, & ipſe *Capellus* punctorum Revelator, punctorum mutandi, pro arbitrio ſuo, cuipiam ſubindè concedit, modò commodior eliciatur ſenſus.

——*En queis conſevimus agros!*

(7.) Puncta hodierna à quovis alio docto ac linguæ ſanctæ perito mutari, & alia pro ipſis ſubſtitui poſſe. Quod enim auctoritate tantùm humanâ nititur, id pari auctoritate, ſcilicèt humanâ, loco movere fas eſt. Imò (inquit Doctiſſimus *Owenus*) ubi per mutationem illius lectio examinatoribus judicibus verior, aut ſenſus commodior elici poteſt, cùm per meritum tantùm examini ſubjectum, locum ſuum tueatur, non modò licita, ſed etiam neceſſaria, erit iſta mutatio. Hîc ipſum *Capellum* habemus confitentem, imò, tanquàm pro aris & focis, contendentem, punctationem eſſe opus humanum, nec ex omni parte perfectum, ſed ex parte ſatìs magnâ prodigioſum,

gioſum, monſtroſum, adeóque falſum. Atque ideò (inquit ille, *lib.* 2. *cap.* 22. §. 12. *cap.* 23. §. 2.) non pendemus abſolutè & neceſſariò ab hodiernâ *Maſoretharum* punctatione; ſed ſi in locis nonnullis proferri poſſit alia punctatio, quæ Analogiæ Grammaticæ, atque naturæ hujus linguæ non repugnet, quæque ſenſum æquè commodum, aut etiàm commodiorem, veriorem, magis cohærentem, & conſonum pariat, nullo jure *Maſorethicâ* punctatione potiùs tenemur, quàm iſtâ. Quòd ſi verò res ita ſe habeat, nihil in mundo, magis neceſſarium, nihil magis æquum videtur, quàm ut punctatione *Maſorethica* valere juſſâ, Theologi quotquot ſunt omnes, pro officii ratione, omnem ſententiam Biblicam, imò & unumquódque vocabulum, communibus conſiliis, examini ſubjiciant, alia pro aliis puncta ſubſtituant, diruant, ædificent, mutentque quadrata rotundis, quoad iſta tandem inveſtigetur, figaturque lectio, quæ ſenſum Spiritûs Sancti maximè commodum ac genuinum nobis exhibeat. "Sed hoc Jeſuitæ volunt, ut tam ancipiti jacta-"ti ſalo, ad Infallibilitatis Papalis portum poſt-"liminio nos recipiamus. Nihil certè Pontificiis magis gratum, nihil cauſæ eorum magis accommodum, quàm iſtiuſmodi Doctrina, unde punctationis *Maſorethica* mutandæ neceſſitatem inferre licet. Punctis enim hodiernis loco motis, quid tandem certi manebit? quid firmi in ſacris literis invenietur? quid litium, & rixarum de genuinâ Scripturæ lectione perniciosarum, inter doctos omnes, & facultate κρίσεως pollentes, nuſquàm loci non graſſabitur?

Quantum

Quantum certè capio, nullâ uſus eſt Hyperbole noſter *Owenus*, quando de hâc re verba faciens, dixit ; punctis omnibus abjectis, litibus æternis, non tam lata feneſtra, quàm porta decumana certiſſimè aperietur ! Annon ſæpè hic videt, quod alius non ? Nonne huic verum & commodum videtur, quod alteri contrà falſum, atque incommodum ? In quot formas & monſtra opinionum, fingentur, ac refingentur quàm plurimæ ſacri Codicis voces, & ſententiæ ? Quotiès accidat neceſſe erit, ut lectio Adulterina textui inferatur, & quæ vera eſt ac genuina, expungatur, dum totus textus *Biblicus* quibuſvis ingeniis ſcientiæ opinione prætumidis committitur caſtigandus, punctiſque aptioribus donandus ?

(8.) Incertum & dubium fieri totum Vetus Teſtamentum, textúmque ſacrum nudis literis conſtantem inſtar ceræ in omnes figuras mutabilem ; vel inſtar Materiæ primæ, nullarum non formarum ſuſceptibilem ; cùm nulla ferè vocula in ſacris paginis occurrit, cui non poſſint alia atque alia pro lectoris arbitrio ſubſterni puncta, unde vocum ſignificatio, atque ſententiarum mens prorſùs diverſa evadat. *Morinus* quidem *Opuſcul. Hebræo-Samarit. pag.* 91. obſervat, quòd Scriptura iſtiuſmodi longè pluribus ſenſibus obnoxia eſt, quàm dictiones quas cum ſuis vocalibus omnibus deſcribit, atque ideò Myſticis interpretationibus quæ ex ſolâ traditione παραδόσεως diſci poſſunt, aliâ longè fertiliſor. Et ipſe ego fertiliorem eſſe Scripturam nudis literis conſtantem fateor, quàm quæ punctis vocalibus donatur :

ſed

ſed more tantùm *Africæ*, quæ ſemper aliquid Monſtri parit, cui quiſquam non ſine ſummo rerum omnium diſcrimine, ſe committat. Omnes quidèm periculoſas Conſequentias averruncare conantur punctorum hoſtes: ſed arctiorem cum punctorum novitate connexionem habent iſtiuſmodi Conſequentiæ, quàm quibus amoliendis ſit gens tota *Eliana*. Sic certè viſa res eſt *Engelberto Engels*, quod verba ejus, quæ de hâc re in præfatione *Valentini Schindleri Lexico Pentaglotto* à ſe præfixa fecit, luculentiſſimè teſtantur. "Sunt "multi (inquit) Doctiſſimi Clariſſimíque viri, "qui ideò, quòd quidam Judæorum Rabbini "longè poſt 22 *Alphabeti* literas, puncta ab ho"minibus inventa eſſe aſſerant, uno eodémque "cum conſonantibus tempore, Hebræorum Vo"cales non extitiſſe, exiſtimant. Verùm loca "Scripturæ, è multis pauca modò enumerata, ſi "attentiùs conſiderentur, perſpicuum evadet, "puncta unà cum 22 literis aut orta eſſe; aut "Scripturam olim cerei inſtar nunc in hanc par"tem, nunc in illam fuiſſe flexibilem. Et ſi "puncta ab hominibus ſunt inventa, ſequitur ne"ceſſariò Scripturam hoc noſtro tempore Au"thoritatem habere non divinam, ſed humanam. Hactenùs *Engelbertus*; qui, datâ punctorum novitate, & Auctoritatem Scripturæ divinam è medio tolli, & ſummam rerum omnium incertitudinem in ejus locum introduci, exiſtimat. Et quid (quæſo) remedii iſti malo adhibendum, quod tot *Homonymiis*, & *Amphiboliis*, tot litibus pernicioſis, & incertitudinibus periculoſis ſacras veteris inſtrumenti paginas onerat, ut nihil certi, firmive

firmive elici aut extundi ex iis unquàm poſſit? Rem verò ita ſe habituram eſſe, ſublatis è medio punctis, neminem latet, præter Hebraicarum literarum rudes, quos ipſe linguæ ſanctæ genius planè latet. Numerus enim vocum diverſum, pro diverſitate punctorum iiſdem numero literis ſubſtitutorum, ſenſum fundentium, pænè eſt infinitus. Nos è multis, quæ catervatim ſe offerunt, paucilla, lectoris in gratiam, adducemus exempla.

(1.) שדי. Si legatur *Schaddai*, eſt Omnipotens. Si *Sadhai*, eſt Ager. Si *Sedhe*, agri. Si *Sedhi* Ager meus. Si *Sedhai*, Agri mei. Si *Schedhe*, eſt ubera. Si *Schadhai*, ubera mea. Si *Schuddi* deſolatio mea. Si *Schuddai*, deſolationes meæ. Si *Schoddi* deſolatum, vaſtatum redde. Si *Schadhi*, uber meum. Si denique *Schedhe* cum *Tſeri*, non autem cum *Scheva*, ut ſuprà, eſt Dæmones.

(2.) מטה. Si legatur *Matte*, eſt virga. Si *Mitta*, eſt lectus. Si *Matta*, eſt infra. Si *Mutte*, perverſus. Sin *Mutta*, eſt perverſa.

(3.) חבל. Si legatur *Chabhal*, eſt, in pignus accepit. Si *Chabhol*, eſt pignus. Si *Chibhel*, eſt malus nauticus. Si *Chobhel*, eſt Nauclerus. Si *Chebhel* cum quinque punctis, eſt dolor parturientis. Si *Chebhel* cum ſex punctis, eſt perditio, vel funiculus. Si *Chabbel*, eſt parturito, vel enitere.

(4.) שער. Si legatur *Schagnar* cum *Chamets* & *Pathach*, eſt æſtimavit. Si *Schagnar* cum duplici *Pathach*, eſt porta. Si *Schogner* eſt janitor. Si *Schognar*, eſt horrendus. Si *Sagnar* cum *Chamets*

&

& *Pathach*, eſt horruit. Si *Segnar* cum duplici *Pathach*, eſt horror. Si *Segnar*, eſt pilus. Si denique *Sagnir*, eſt hircus.

(5.) שבע. Si legatur *Schebhang*, eſt ſeptem. Si *Schabhuang*, eſt Septimana. Si *Sabhang*, eſt Satiari. Si *Sabheang*, eſt ſatur. Si *Sobhang*, eſt ſaturitas.

(6.) חרש. Si legatur *Charaſch*, eſt aravit. Si *Choreſh* fabricator, vel fabricans. Si *Chereſch*, cum quatuor punctis, eſt ſurdus. Si *Charaſch* cum duplici *Chamets*, artifex. Si *Chereſch* cum ſex punctis, eſt ſilentium. Si *Chariſeh*, eſt aratio. Si denique *Choreſch* cum *Segol*, non ut ſuprà, cum *Tſeri*, eſt ſilva. Iſti certè omnes in ſilva quaſi, nigris incertitudinibus caligante, haud certis paſſibus hùc illùc oberrant, qui omnibus vocalium notis eraſis, verum cujúſque vocis Biblicæ ſenſum, in ſe, pro ea quâ pollent facultate σοχαστικῇ, inter tot ſignificationum Mæandros, ſuſcipiunt divinandum. Uſque adeò de Textûs non punctati incertitudine, dicere fas eſt.

Eſt nemus & piceis, & frondibus ilicis atrum:
Vix illuc radiis Solis adire licet.

Sed hiſce valere juſſis, verborum Paradigmata percurſurus & ὡς ἐν τῷ παιδιᾷ, diverſas ex iiſdem numero conſonis, pro punctorum ſuffixorum diverſitate, ſignificationes oriundas annotaturus pergo. Nam

Cætera de genere hoc (adeò ſunt multa) loquacem
Delaſſare valent Fabium.

Nobis

Nobis ergò parcâ manu rem tractare contentis, quæ in paradigmatibus non-punctatis occurrunt, Homonymias maximè obvias & frequentes indigitâſſe ſufficiet. Si puncta vocalia amoveantur, *Præterita Pihel* & *Puhal* à *Præterito Kal*, non diſtinguuntur: neque harum *Conjugationum Infinitivus* & *Imperativus*, ab *Infinitivo*, & *Imperativo*, & *Benoni Kal*. Literæ enim פקד legi queant, *Pakadh*; *Pakedhu*; *Pekodh*; *Pikdi*; *Pikdu*; *Pakodh*; *Pokedh*; *Pikkedh*; *Pikkedhu*; *Pakkedh*; *Pakkedhi*; *Pakkedhu*; *Pukkadh*; *Pukkedhu*; *Pukkodh*; *Pukkadh*, cum *camets* in ultima. Puncta quoque ſi expungantur, Imperativus & Infinitivus *Niphal*, à Præterito, Imperativo, & Infinitivo *Hiphil*, nullas habent literas Characteriſticas, quibus diſtinguantur. Literæ הפקד non punctatæ legi enim queant, *Hippakedh*, *Hippakedhi*, *Hippakedhu*; *Hiphkidh*, *Hiphkidhu*; *Haphkedh*, *Haphkidhi*, *Haphkidhu*; *Hophkadh*, *Hophkedhu*, vel denique *Hophkedh*. Sublatis denique punctis, Futurum *Kal*, *Niphal*, *Hiphil*, *Hophal*, *Piel*, *Pual*, magna ex parte confundantur, oportet. Nam literæ תפקד vocalium notis deſtitutæ, legi, pro arbitrio, queant. *Tiphkodh*, *Tiphkedhi*, *Tiphkedhu*; *Tippakedh*, *Tippakedhi*, *Tippakedhu*; *Taphkidh*, *Taphkidhi*, *Taphkidhu*; *Tophkadh*, *Tophkedhi*, *Tophkedhu*; *Tepakkedh*, *Tepakkedhi*, *Tepakkedhu*; *Tepukkadh*, *Tepukkedhi*, *Tepukkedhu*; & adjectâ formâ Quadratâ, (quam *Poel* vocant) *Tepokedh*, *Tepokedhi*, *Tepokedhu*.

Haſce omnes vocum non-punctatarum Homonymias, haſce varias Lectiones, & diverſas inde oriundas ſignificationes, nec non hujuſmodi incertitudines

certitudines quàm plurimas alias, in Paradigmatibus occurrere Hebræis, nôrunt omnes Hebraicè Docti. Hinc igitur liquet, quàm necesse est, ut dubius hæreat Lector, & in difficultates, incertitudines, tenebrasque ineluctabiles conjiciatur, si puncta omnia è sacris *Bibliis* exularent, nullâque vocalium vestigia Textui Biblico imprimerentur! Hâc tandêm datâ Hypothesi, puncta non esse literis coæva, quis non cum *Marco Marino* horrescens exclamaret, quòd nulla certa doctrina poterit tradi de hâc linguâ, cùm omnia possint diversimodè legi, ut futura sit major confusio unicæ hujusce linguæ, quàm illa *Babylonis*, de quâ Scripturæ meminerunt? in *Præfat.* quam *Arcæ Noah* præfixit. Hîc frustrà obtendunt punctorum Adversarii, hæc omnia leviora esse, quàm quibus dignoscendis immoremur. Quasi verò verbum Dei O. M. qui omnia numero, pondere, & mensurâ, creavit, ità sit comparatum, ut nullas Numerorum differentias, nulla orationis pondera, nullam Syllabarum mensuram prodat, nedum curet! Ecquis enim ex punctis vocalium notis, inter numerum *Singularem* & *Pluralem*, inter *Syllabas* longas & Breves, inter *Verborum Conjugationes* leves & graves, certò distinguere potis erit? Ob punctorum certè vocalium & accentualium defectum, quibus moniti hæc omnia distinguimus, ut Spiritûs Sancti sensus genuinus sæpius obfuscetur, & ipse Textus Originalis miseris modis periclitetur, necesse est.

(8.) Incommodum ultimum, quo sententia gravatur *Eliana*, ex *Buxtorfii* patris *Tiberiade*, verbis

verbis planè *Buxtorfianis*, hùc transcribere libet. Ipse igitùr inter Absurda quàm plurima, quæ fictitiam punctorum comitantur Novitatem, dicit, hoc esse numerandum, quòd datâ punctorum novitate, judex superior erit nullus, ac proinde sacræ Scripturæ Veteris Testamenti Canon quoque nullus, qui Controversarum interpretationum sit Mensura & terminus. Nec satis est, Textum in literis incorruptum & immutatum semper permansisse, eúmque posse esse judicem. Vocales sunt animæ dictionum & vocum, quæ eas vivificant. Vita vocum est earum per pronunciationem motus, quem vividus & genuinus sensus comitatur. Undè vox nudis consonis scripta sine vocalibus legi, & intelligi nequit. Vocales autem, maximè in obscuris, & difficilibus locis, alius addet has, alius alias, prout quisque sensum elicere tentabit. Hîc judice alio erit opus: ac proinde vox sola nudis literis scripta, de se sufficientèr judicare non poterit. *Versio Græca*, quæ Septuaginta Seniorum titulum & authoritatem circumfert, à *Textu Hebræo* differt, non tantùm in lectione vocalium, sed & literarum; unde nec ista judex esse poterit. Ubi alium judicem quæres? an servus super dominum; an pedissequa super heram augustam jus dicet? an fons vivus & limpidissimus, se rivuli variis perturbationibus obnoxii, sapori, & colori subjiciet; Hactenùs *Buxtorfius* de sententiæ *Elianæ* absurditate, præ quo, cæteri ferè omnes Doctores Hebraici qui inter pueros glorioſiùs incedunt, & μίγά τι esse videntur, sunt planè in linguæ Sanctæ genio, ingenio, & Mysteriis tyrones; imò

hoſpites & peregrini ; ne dicam, noctuis & Talpis cæciores.

Hucuſquè rationes & argumenta, quibus noſtra de genuina punctorum antiquitate, ac θεοπνευσία, innititur ſententiâ, atque κατασκευαστικῶς adſtruitur, protulimus : quæ omnia in unum cogere lubet, ut lectori φιλαληθεῖ, quaſi σωρῷ factâ, in memoriam revocentur, ſubjicianturque iterùm atque iterùm accuratiùs penſitanda.

Si igitur lingua Sancta primas tum temporis, tum dignitatis præ omnibus aliis tenet. Si punctatio *Hebraica* ita ſe habet ad literas, ut forma Phyſica ad materiam, cujus indifferentem ac communem naturam actuat, & reſtringit. Si Αὐτάρκειαν conſonis coæqualem puncta ſortiuntur. Si Scriptura ſacra eſt ad vulgi captum accommodata, & in omnibus ad fidei πληροφορίαν neceſſariis perſpicua. Si ſummâ linguæ & literarum *Hebraicarum* Auctor pollebat, ſapientiâ. Si de punctorum actuali exiſtentiâ, omnibus illis bonis viris, quibus *Elias Levita*, & ejus Aſſeclæ ſequiores, eorum inventionem adſcribunt, multò antiquiori, conſtat. Si hodierna Bibliorum lectio, ex punctis ipſis oriunda eſt *Authentica*. Si bona pars variarum lectionum (quas *Keri*, & *Chethibh* vocant) ex punctatione Anomala præexiſtente, originem ducunt. Si probatiſſima *Judæorum* Hiſtoria punctorum *Authentiæ* ubique favet ; Si præter puncta nullum unquam habuerunt *Judæi* ordinarium Medium ſufficiens, quo vera Scripturarum lectio conſervaretur. Si nulli idonei Authores, præter *Moſen* & cæteros Spiritûs Sancti Amanuenſes, aſſignari queunt, quibus punctorum

rum inventionem, in quantum in ſacro Textu ſtationem obtinuerunt, adſcribere licet. Si tot denique contrariam opinionem gravant incommoda, ut commentum videatur Diabolicum ad ſacri codicis opprobrium invectum. Fidenter certè & meritò concludere fas eſt, *Puncta Hebraica, quibus Hodierna Bibliorum exemplaria extant donata, eſſe ipſis literis coæva.* Ὅπερ ἔδει δεῖξαι. *Quod erat demonſtrandum.*

PRima tandem ſuſcepti laboris, *pro eo, quod Deus* Ἀδδοκία *Optimus* δυνάμει *Maximus mihi admenſus eſt, talento, divinâ cœlitùs aſpirante gratiâ, pars eſt exacta. Quam claudat, & quaſi annulo ſignatorio communiat, paræneticum iſtud ſacri paræmiographi adagium ex Scriptis Moſaicis traductum, quo contra Novatores omnes iniquiores Analogicè cautum eſſe, videtur.* Proverb. cap. 22. ver. 28. אל תסג גבול עולם אשר עשו אבותיך׃

Ne transferas terminum antiquum, quem fecerunt patres tui.

Partis primæ Finis.

Pars Secunda.

ΑΝΑΣΚΕΥΑΣΤΙΚΗ.

In qua, quæ contra genuinam punctorum Antiquitatem, ab Elianiſtis *adduci ſolent, præſertim quæ in Prolegomenis Bibliorum* Waltonianorum, *Reverendiſſimus Præſul* Brianus *haud ita multò antè* Ceſtrienſis *adduxit, expenduntur, & quæ ullius ponderis ſpecicm præ ſe ferunt, diluuntur omnia.*

CAPUT I.

HACTENUS immotis argumentorum fulcris punctorum Antiquitatem ſtabilitam dedimus, atque hodiernas eorum figuras Conſonantibus eſſe coævas, Textuíque ſacro Θεοπνεύστως additas, invictis rationum momentis evicimus. Expendendæ jam veniunt *Elianiſtarum* Rationes, contra iſtam, quam punctis adſcripſimus, Anti-

quitatem, μετὰ πολλῆς φαντασίας coacervatæ. Hoc verò quicquid eſt, provinciæ, lubentior aggredior, nè anſula addendi nectendíque ſtropharum, quibus ſe atque alios in hâc Palæſtrâ minùs exercitatos, adhùc implicent irretiántque, Adverſariis ſuperſit exporrecta. *Elianiſtarum* quidèm ſcopus unus eſt, atque idem omnium: quippe hoc ſolum in votis habent, ut *Puncta Hebraica* eâ, quâ pollent, Auctoritate divinâ ſpolient. Hoc ut tandem effectum darent, nullum non movent lapidem: non omnes tamèn omnia juvant, ſed alii aliis utuntur rationum fucis. Nec mirum, quandoquidem (uti ſcitè *Cyrillus Hieroſolymitanus*, *Catech.* 18.) πολυειδὴς ἡ ἀντίρρησις, ἀλλὰ μονοειδὴς ἡ ἀλήθεια; multiplex eſt contradictio, ſed ſimplex veritas. Veritate igitur ſimplici fretus, criminationibus licèt vexatâ, calumniis onuſtâ, & penè fatigatâ, cauſæ σὺν Θεῷ ſuſceptæ haud prævaricabor, ſed oppoſitos multiformésque errores, qui *Elianiſtarum* objectionibus inſunt, nunc ex ordine diluendos ſuſcipiam.

(1.) Objectionem primam ex literis *Samaritanis* depromptam proferunt punctorum hoſtes, illas eaſdem fuiſſe cum antiquis Hebræis, quæ ante Captivitatem obtinuerunt *Babylonicam*, obtendentes. Hinc facili colligunt negotio, puncta hodierna eſſe novum quoddam *Maſorethorum Tiberienſium* inventum: quià puncta vocalia Samaritani agnoſcunt nulla. Cl. *Walton. Proleg.* 3. §. 40. *Lud. Capel. Arcan. Punct. Revel. lib.* 1. *cap.* 6.

Reſpond. Hæc verò licèt ſpecioſa, & *dictatoria* quâdam

quâdam animi confidentiâ prolata, dicuntur tamen gratis: nec illis ſtabiliendis tota *Elianiſtarum* gens, quanta quanta, fuerit, ſufficit; quin adhùc reſtant, ex parte incerta, ex parte manifeſtò falſa.

(1.) Incertum eſt, quod dicunt, puncta vocalia Samaritanos agnoviſſe nulla. Unde de hoc in tantâ rerum Samaritanarum obſcuritate, conſtaret, me neſcire lubens confiteor: hoc tamen ſcio, à non apparere ad non eſſe, nedùm ad non fuiſſe, non valere conſequentiam. Contrarium ſuadere videntur D. *Hieronymi* verba, quæ in principio præfationis, quam libro *Regum* adhibuit, ita ſe habent. Samaritani etiam *Pentateuchum Moſis* totidem literis ſcriptitant (quot *Hebræi*) figuris tantùm, & apicibus diſcrepantes. Hîc per apices puncta vocalia *Hieronymum* intellexiſſe exiſtimat vir in hiſce rebus ſagaciſſimus *Theodorus Bibliander. in Comment. de ratione communi omnium linguarum. pag.* 63. item *Buxtorfius* Junior, de punctorum origine, *lib.* 1. *cap.* 11. Sic & *Poſtellus*, qui ex verbis jam allatis collegit, *Samaritanos Hieronymi* temporibus puncta vocalia habuiſſe. Nam in 12 linguarum *Alphabeto*, ubi de *Samaritanâ*, verba facit, planè dicit. Punctis hodiè, quæ habebant *Hieronymi* temporibus, carent, legúntque ſine punctis depravatè admodùm.

(2.) Utcunquè ſe res Samaritanorum literariæ olìm habuerint, falſum eſt, & ab omni veritatis ſpecie alienum, quod dicunt, literas, quibus, ante Captivitatem *Babylonicam*, uſi ſunt Hebræi, non fuiſſe Quadratas iſtas, quibus ex-

explaria Bibliorum nunc extant impreſſa, ſed hodiernas Samaritanas : cujus contrarium veriſſimum eſſe, nos ſuprà demonſtravimus. Nec habent profectò punctorum hoſtes, quo hoc inſomnium, & μέγα παραλήρημα ſuffulciant, præter Monetas quaſdam literis *Samaritanis* inſcriptas, de quarum genuinâ antiquitate non minùs ambigitur, quàm de mutatione literarum poſt Captivitatem factâ, ut aliqui volunt : imò tam malæ famæ & incertæ notæ ſunt Monetæ iſtæ pleræque omnes, ut contendunt haud infimi ſubſellii Doctores, eas fuiſſe à quibuſdam nebulonibus confictas & confectas, ut hâc impoſturâ credulos, & monumentorum Antiquitatis avidos ſuâ emungerent pecuniâ. Ne verò ſibi adblandiantur Adverſarii de argumento hoc pecuniario, quo non veritatem, ſed erroris vetuſtatem emptum eunt, nos paucula hîc ſubjicienda, quibus *Monetam* hanc, quanticúnque faciunt, non probam, ſed ſubæratam eſſe conſtet, duximus.

(1.) Duplici charactere Judæos olim uſos fuiſſe, veriſimile ſaltem eſt, ſi non extra omnem dubitandi aleam poſitum. Hîc quoſdam fateor refragari doctos viros, ne præconceptam ſuam deponant opinionem; quibus Doctiſſimum *Stillingfleet* curioſum certè rerum antiquarum indagatorem, ſe annumerantem non mirari non poſſum. Rem verò in populo Iſraelitico ſe ita habuiſſe, fuſè ſatísque probavit Cl. *Buxtorfius*; niſi unius & alterius Doctoris iſta omnia prudenter diſſimulantium, quibus refellendis minùs ſunt, ſententia Dictatoria ad quævis allata argumenta difflanda, ſufficiens habeatur. Ille verò

poſt

poſt teſtimonia quàm plurima pro duplici hoc Charactere, Samaritano ſcilicèt, & Hebræo (quem vocant quadratum) facientia, congeſta, Theſin ſuam hiſce verbis finire non eſt veritus. Quicquid hujus rei ſit, inter pleróſque de duplici charactere convenit, inter *Hebræos* olìm uſitato, non à temporibus demùm *Eſræ*, ſed aliquot jam ante *Eſram* ſæculis. Nec minor de hoc duplici charactere eſt *Nicolai Fulleri* πληροφορία: qui *lib.* 4. *cap.* 4. *Miſcellan. Sacr.* ſic ſcribit. Non dubitamus igitùr pro duobus illis præcipuis rerum ac negotiorum diverſis generibus, ſacrorum videlicèt, & Civilium, duplicem minimùm literarum figuram antiquis *Hebræis* fuiſſe conſuetam. Quippe alterum genus *Judæorum* monumenta, ad hodiernum diem affatìm extantia luculenter demonſtrant; alterum *Samaritanorum* libri & numiſmata ab interitu vindicant. Hanc amplexi ſunt ſententiam præter *Hebræos* ſatis multos, *Gulielmus Poſtellus*, *Theodorus Bibliander*, ipſe etiam *Irenæus*, cum multis aliis, quos compendio verborum ſtudens, miſſos facio. Fruſtrà igitùr triumphos agunt, fruſtrà in numeris, literis *Samaritanis* inſcriptis, cauſæ ſuæ ſubſidium ponunt, qui mutationem literarum de charactere *Samaritano* in *Chaldæum* ab *Eſra* factam, finxerunt. Dato enim, numiſmata extare Characteribus, ſeu literis *Samaritanis* variegata, eáque ſtante adhùc templo primo, cuſa fuiſſe, quid, quæſo cauſæ noſtræ, incommodi, aut Adverſariorum inde ſubſidii? An ex eo, quòd luna ab ipſis rerum primordiis extitiſſe dicitur, noctiſque dominium tenuiſſe, ullatenus ſequi putamus ipſum ſolem non

niſi

niſi poſt multa ſæculorum volumina ex horrendâ Non-entitatis Abyſſo in rerum naturam emerſiſſe, atque diei imperium ſortitum fuiſſe? Hoc tantùm obtinent Adverſarii, quod & nos ultrò concedimus, literas iſtas, quas *Samaritanas* vocant, *Judæis* olim notas fuiſſe, & in negotiis civilibus quibuſlibet, in monetis, contractibus, & aurigraphiis fuiſſe adhibitas; ſed ultra hoc, ne γρὺ quidem. Non enim hîc à poſitione Characteris *Samaritani*, ad negationem Quadrati procedere licet, priuſquàm demonſtratum fuerit, hæc duo Characterum genera, eſſe prorſùs Ἀσυλλογίστα.

(2.) Haud veri abſimile eſt, nummos iſtos, literis *Samaritanis* notatos, quos tanquàm genuina Antiquitatis monumenta crepant Mutationis literarum *Eſraiticæ* patroni, pleroſque eſſe fictitios. Non deſunt certè viri rei antiquariæ peritiſſimi, quorum aliqui in dubium vocant, aliqui verò numiſmatum iſtorum ἀυθεντίαν apertè abnegant. Hùc facit, quod *Baronius* ad annum Chriſti 324. n. 113. habet. Prodiêrunt (inquit) hoc noſtro ſæculo dixerim ne impoſtores, qui obductum craſſâ rubigine numiſma æreum nanciſcuntur, formas, & literas, quas volunt, ſolerti fingunt induſtriâ, turpis lucri gratiâ, non ſine magno rei antiquariæ præjudicio. Sed *Baronii* auctoritate valere juſſâ, Monetis iſtis, quibus inſculpti ſunt Characteres *Samaritani*, fraudem fucúmque ſubeſſe, res ipſa loquitur. Extant enim nominibus Chriſti & incarnationis variegata, literis *Samaritanis* inſcripta, numiſmata. Hoc idem teſtatur *Theſeus Ambroſius*, *Introduct.*

troduct. fol. 21. ubi ſcribit, ſe vidiſſe numiſmata, hâc inſcriptione, ornata. *Meſſias rex venit in pace*; *Deus homo factus eſt, vel incarnatus. Proceſſus Mammillares* ad prodigium uſquè illis ſunt obtuſi, quibus fraus nebulonum lucrifaciendi œſtro percitorum, ac dolis conſarcinatis, credulorum irretiendi cauſâ, utentium, in iſtiuſmodi inſcriptionibus, minùs ſubolet. Myſterium certè incarnationis non adeò notum fuit & vulgare, ſtante templo primo, nè dicam ſecundo, ut nummis inſcriberetur. Diſcat hinc lector Cordatus, quàm elumbe ſit argumentum, pro mutatione literarum *Eſraiticâ* militans, quod, quantum quantum eſt, in fucum & figmentum ultimò reſolvitur! Puncta *Hebraica* eſſe novum *Maſoretharum Tiberienſium* inventum clamitant punctorum hoſtes. Quid ita? quià veteres *Hebræorum* literæ, non quadratæ fuerint, quæ hodiè punctis gaudent, ſed iſtæ, quæ *Samaritanæ* dicuntur, atque puncta agnoſcunt nulla. Undè verò de hoc certiores fiamus? ſcilicet ex nummis quibuſdam, circa *Hieruſalem* effoſſis, quibus Characteres (quos vocant) *Samaritani* inſculpuntur, quorum aliqui planè fictitii tenebrionum quorundam fœtus deprehenduntur; dubiæ verò originis, & incertæ antiquitatis cæteri, quotquot ſunt, omnes. Apagè iſtas nugas, nemini, qui non ſit ſtudio partium abductus, unquàm, ſi quid ego conjecto, arriſuras.

(3.) Dantur quoque (nam *clavum clavo pellere* fas eſt) numiſmata literis quadratis, quibus hodierna *Bibliorum* exemplaria exarantur, notata, eáque non minoris antiquitatis, quàm quæ literis

ris *Samaritanis* extant inſcripta. *Schickhardus*; tum *Bechin. Hap.* tum alibì, teſtatur effodi *Hieroſolymis* æneos nummos antiquos, cum *Salomonis* nomine, regno adhùc integro, procuſos, & ſic ipſâ *Samaritanorum* origine, & *Eſrâ* multò antiquiores; qui ex unâ facie vultum regis, ex alterâ templum, utrobíque cum literis vulgaribus, oſtentant. *Schickhardo* ſuffragatur *Kircherus*; hoſce enim prioribus non cedere antiquitate, ſed genuinos fuiſſe ſiclos ſacros, ipſe vult. In eâdem ſententiâ Cl. habemus *Hottingerum*, qui nummum hujuſcemodi, ſe poſſidere teſtatur. *Cip. Heb. Append. de num. Orient. pag.* 126. Quid tandem opus pluribus? Si ex nummis *Hebræorum*, noſtrum ſit de genuina literarum Hebraicarum antiquitate judicium ferre, tum certè literæ vulgares quadratæ, *Samaritanis* antiquitate non cedunt; tam enim characteres quadrati, quàm *Samaritani*, Monetis circa Hieruſalem effoſſis, inveniuntur inſculpti. Quid regerunt punctorum hoſtes? Scilicet, numiſmata, quibus literæ inſcribuntur *Samaritanæ*, eſſe genuina antiquitatis monumenta, & ſtante templo primo, fuiſſe procuſa: ea verò quibus literæ inſculpuntur quadratæ, eſſe fictitia, atque ſub templo ſecundo cuſa fuiſſe. Dictatores agant, nolim, ſed argumentis rem ita ſe habere probent, & æternùm, per me licet, vincant! Caveant interìm, oro, ſiquid effectum velint, nè circulo illabantur *Loyolano*; quaſi antiquitatem, novitatémve literarum, ex nummis circa *Hieruſalem* effoſſis, & vice verſâ, nummorum antiquitatem, novitatémve, ex literis, quibus extant inſculpti, inferre liceat;

quod

quod Cl.iſtis viris ſolenne eſt, qui literarum Hebraicarum mutationis patrocinium ſuſcipiunt. Sic enim, in hâc cauſâ, eorum procedit argumentatio. Characteres *Samaritani*, non quadrati, ſunt vetuſtiſſimi : quià iſti, non hi, vetuſtiſſimis *Hebræorum* nummis inveniuntur inſculpti. iſtos verò nummos vetuſtiſſimos eſſe, unde apparet ? Inde, inquiunt, quòd eos vetuſtiſſimis *Hebræorum* literis, non novitiis, *Samaritanis*, non *quadratis*, habemus notatos. Riſum teneatis amici ? Ha, ha, he ! Mutabilis ad prodigium uſquè, ſit oportet, qui literarum *Hebraicarum* mutationem ab *Eſra* unquàm factam eſſe, credat, non niſi nugatoriis hujuſcemodi argumentatiunculis adductus.

Sed inſtant. quòd huic literarum Hebraicarum mutationi *Euſebius*, *Hieronymus*, & *Beda* ſunt ſuffragati.

Reſpond. Recentiores ſunt hi *Triumviri*, quàm ut fidem illis, rem nullâ temporum hiſtoriâ, *ἀυτόπτα* nullâ comprobatam narrantibus, neceſſariò adhibendam eſſe, putemus. Teſtium horum antiquiſſimus *Euſebius* vixit annos 800 poſt mortem *Eſræ* (quod Cl. *Owenus* obſervavit) cui facinus hoc tribuitur. Quid autem veri, exploratîve habere poterant, de literarum mutatione ante tot ſeculorum volumina, fictâ factâve, homines, tantâ temporis intercapedine, remoti ? Mutationis hujuſce prodigioſæ traditionem Catholicam producunt nullam : atque ideò eâdem facilitate rejicitur, quâ affirmatur. Nec eſt, quod, ſi unus & alter patrum, ſe, neſcio quibus rumoribus, à veritatis tramite abduci patiuntur,

ego

ego συμπάθειας gratiâ, in eandem cum illis abeam ſententiam. Si enim hiſce patribus memoratam literarum mutationem narrantibus fidem adhibeamus, æquum ſit: quid ni illis, aliorum ſuffragiis, *Irænei* ſcilicet, *Tertulliani*, *Theodoreti*, *Baſilii*, & *Clementis Alexandrini* ſtipatis, totum Veteris Teſtamenti Canonem, durante Captivitate intercidiſſe, & ab *Eſra* tandem è *Babylone* reduci de integro eructatum, reſtitutúmque fuiſſe, narrantibus fidem habere teneamur obſtricti? Qui verò, tam portentoſa, & à veritate tam abhorrentia, eſt credendo, illi non equidem invideo; illius verò me miſereſcit magis!

Hîc verò obſervare juvat, quòd ſi maximè probatum darent, antiquas *Hebræorum* literas fuiſſe hodiernas *Samaritanas*, nihil tamen indè extorqueri, in cauſæ *Elianiſtarum* ſubſidium ceſſurum, poteſt. Forſàn enim literæ *quadratæ*, ſua apud ipſos *Chaldæos* habuerunt puncta, quæ unà cum literis conſonantibus, *Eſra* è *Babylone* redux introduxit, atque *Bibliis* ſacris exarandis conſecravit, ne ex punctorum defectu, magna lectoribus errandi occaſio identidem objiceretur. Utcunque ex eo, quòd literæ *Samaritanæ*, quas ſolas tàm in ſacris, quàm in civilibus deſcribendis, *Judæos* uſque ad Captivitatis *Babylonicæ* finitæ tempus uſurpâſſe fingunt Adverſarii obtinuerint: literas verò quadratas, quibus hodierna *Biblia* exarantur, non niſi poſt quingenteſimum à Chriſto nato annum puncta obtinuiſſe, nequaquàm ſequi, nemo præjudicii trabe vacuus, non videt. Quis enim mentis compos, hujuſcemodi non ludibrio & deſpicatui haberet conſequentiam; *Biblia ſacra non extiterunt*

extiterunt ante captivitatem Babylonicam punctata, ergo puncta Rabbini Tiberienſes poſt quingenteſimum à Chriſto *nato annum, demum invenêrunt?* Hæc profectò eſt tota, quæ huic ineſt argumento, à fictâ literarum *Hebraicarum* mutatione emendicato, vis, donec aliquid ponderis majoris ſuperaddere dignabuntur Adverſarii. Intereà temporis ex hiſce, & ſuprà allatis, nobis inferre licet, veteres & primævas *Hebræorum* literas non fuiſſe hodiernas *Samaritanas*, ſed eaſdem prorſùs cum literis *quadratis* quibus *Biblia* ſacra hodiè exarantur; quibus poſitis, ut tota prima, quam diluendam ſuſcepimus, objectio corruat, neceſſe eſt.

CAPUT II.

(2.) SEcunda petitur objectio ex hodiernâ Judæorum praxi in *Synagogis* pleriſque omnibus celebratâ, ubi ſacra ſacri codicis volumina, quæ publicè præleguntur, ſine punctis omnibus, & verſuum diſtinctionibus ſunt exarata. Hinc volumina hæc non-punctata in *Synagogis Judæos* adhibere, ut adumbrarent Ἀυτόγραφον *Moſis* volumen in arca juſſu Dei ſervatum, quod punctis erat deſtitutum, contendendi anſulam arripiunt, vel doctiſſimi punctorum Adverſarii. Hoc fecit Cl. *Walt. Proleg.* 3. §. 41. idem & magnus ille *Arminianorum* Malleus, & eruditionis Metaphyſicæ genius *Oxonienſis*, Cl. *Prideaux. Prælect.*

lect. 12. §. 6. *pag.* 190. Uterque verò poſt ἄκρον illum punctorum oppugnatorem, *Lud. Capellum*; ne dicam ex illo, uti videre eſt. *Arcan. Punctat. lib.* 1. *cap.* 4.

Reſpond. Hujuſce verò objectionis vanitatem tam liquidò detexerunt, vimque ejus ementitam, tam ſatisfactoriè enervârunt Cl. *Buxtorfius*, & Doct. *Owenus*, ut immodeſtus ſit, oportet, ac perfrictæ frontis, quiſquis eâ ad punctorum ἀυθεντίαν impugnandam, poſthàc eſt uſurus. Ne quid tamen huic, quod in *Chriſtiani* lectoris cedat παρρησίαν, deſit tractatui, ſumma eorum capita, quæ ipſi regerenda putârunt, hùc reponere minùs pigebit.

(1.) Ipſi *Judæi*, eorum ſaltèm plurimi, doctiſſimíque, ſe iſtâ praxi docere velle, Biblia antiqua punctata non fuiſſe, conſtanter inficiantur. Si ipſi igitur *Judæi* hoc uno ore negant, ſententiæ de punctationis totius divinâ origine habitæ adhærentes, quorſum nobis objiciunt punctorum hoſtes, volumen legis non-punctatum, ſummâ cum reverentiâ in *Synagogarum Archivis* repoſitum? Quiſnam è totâ familiâ *Eliandâ*, tantus *Apollo*, ut mentem praxeos *Judaicæ*, magìs perſpectam habeat, quàm ipſi Judæi. Si quis verò affirmare perget, ex hâc praxi *Synagogicâ Judæos* docere velle, prima legis, & *Prophetarum* volumina non fuiſſe punctata, ſciat iſtiuſmodi oportet altercator, affirmanti, pro communi diſputandi lege, incumbere probationem.

(2.) Cauſa non alia aſſignatur, cur hodiernum legis volumen in *Synagogis* uſurpatum, punctis careat, quàm ut hâc videlicet ratione, tanto

tò fœcundior ſit legis Scriptura, pluréſque ſenſus myſticos atque Allegoricos admittat. Sàt ſcio alios alitèr ſentire, contenderéque *Moſis Autographon* arcæ immiſſum, certis de cauſis caruiſſe punctis, quemadmodùm hodiè videmus exemplar *Synagogicum*: habuiſſe tamen tum temporis puncta in aliis voluminibus, uſum, non negant. Sed communior eſt *R. Bechai, in lib. Numer. fol.* 162. *col.* 3. *ad Numer.* 11. 15.) ſententia, atque receptior, quæ ita ſe habet.

סִפְּנֵי וְהִנְצְטַוֵּינוּ שֶׁלֹּא לְנַקֵּד סֵפֶר הַתּוֹרָה כִּי מַשְׁמָעוּת לְכָל־מִלָּה וּמִלָּה לְפִי הַנִּיקּוּד וְאֵין מַשְׁמָעוּתָהּ עִם הַנִּיקּוּד כִּי אִם עִנְיָן אֶחָד וּבְלִתִּי נִיקּוּד יוּכַל הָאָדָם לְהָבִין בָּהּ כַּמָּה עִנְיָנִים נִפְלָאִים רַבִּים וְנִכְבָּדִים.

Hoc eſt. Et hanc ob cauſam juſſi ſumus, non punctare librum legis; quia uniuſcujuſque vocis ſenſus literalis eſt ſecundum punctationem; nec niſi unicum vox punctata admittit ſenſum: in voce verò non-punctatâ poteſt homo intelligere, & adinvenire multos, eoſque admirandos, atque eximios ſenſus. Hæc igitur eſt cauſa cur volumina legis non-punctata in *Synagogis* teruntur; ut nimirùm *Scriptura* ſenſibus *Myſticis*, & *Allegoricis* evadat magìs obnoxia, quos *Judæorum Doctores* depereunt: non verò ut Volumina *Synagogica* exemplari *Prototypo* extent conformia; niſi forſan *Elias Levita*, *Coſri*, & unus vel alter *Rabbinulus*, falſâ nitentes hypotheſi, id finis ſibi finxerunt.

(3.) Recentior eſſe videtur hæc conſuetudo, & ab eo demùm tempore traducta, in quo Ca-

balæ & allegorizandi, Scripturarúmque in alienos ſenſus diducendi & detorquendi ſtudium invaluit. Antiquam eſſe, nemo *Elianiſtarum* adhuc oſtendit; nec in poſterum (ſiquid conjecto) eſt oſtenſurus. Conſuetudinum enim illarum Synagogicarum (ſi verbis Clar. *Oweni* præ auro certè Ophirino æſtimandis, uti liceat) pleræque ſuperſtitioſæ ſunt & idololatricæ, plurimæ novitiæ, poſt Talmudicæ omnes. Quid verò affulgeat lucis, antiquiſſimo *Moſis* Autographo, ad hanc litem dirimendam conferens, ex conſuetudine tam novitiâ, tantâque cum ſuperſtitione oneratâ, Philobibliorum ſit judicium!

(4.) Dato, quòd per volumen legis non-punctatum, *Moſis Autographon* ſe referre velle dicant Judæi, non ſtatim tamen inde ſequitur, *Maſorethas Tiberienſes* quingentis poſt Chriſtum natum annis, puncta inveniſſe. Et ſanè niſi res in propatulo eſſet, nemo penè crederet, inveniri poſſe hominem & mentis compotem & literarum phaleris onuſtum, ita ſeriò & ex animo argumentantem! Exemplar ſacrum, quod Judæi hodierni in Synagogarum Archivis aſſervant, & dicunt, ipſum *Moſis Autographon* repreſentare, eſt ſine punctis ſcriptum; ergò *Moſis* tempore puncta Hebraica non extiterunt, ſed quingentis demùm poſt Chriſtum natum annis à *Maſorethis Tiberienſibus* ſunt inventa. Me profectò illorum miſeret, quos ἀναισθησία tam evidens adhùc latet.

Quominùs verò eâ de ſententiâ, quam hucuſquè adſtruxi, me hujuſce objectionis vi dejici patiar, hæ præter ſuprà allatas prohibent conſiderationes.

(1.) Quia

(1.) Quia volumen hoc impunctatum, quod veluti Archetypi *Moſaici* ſacrum eſſe Ectypum dicunt, *Moſis Autographo* per omnia ipſis *Elianiſtis* judicibus, non reſpondet. Iſte enim liber Synagogicus, quamvis puncta non habeat, habet tamen varias lectiones, (quas *Keri* & *Chethibh* vocant) ſibi adhærentes, quas à *Moſe* non magis fuiſſe, quàm ipſa puncta, contendunt punctorum hoſtes; vel ſaltem ultrò concedunt. Si igitur ſtudio *Autographo Moſaici* repræſentandi, lectiones variæ poſtnatæ in iſtos irrepſerunt libros, quos repræſentativos eſſe vellent, quid ni quædam *Moſis Autographo* coæva, puncta ſcilicet tum vocalia, tum accentualia in iſtiuſmodi libris Synagogicis, omiſſa eſſe poterant? Si majus quàm reverà fuit *Moſis Autographon* repræſentant Judæi, quid ni etiam, alio reſpectu, & minus? Non majorem certè errant errorem, cùm *Moſis Autographon* repræſentant Judæi omnibus punctis deſtitutum, quàm cùm illud tanquàm variis lectionibus oneratum oſtentant. Ex præſentiâ igitur τῶ *Keri* & *Chethibh* aut illa textui *Moſaico* fuiſſe coæva dicant punctorum hoſtes; aut ex punctorum abſentiâ, illa eſſe poſtnata, non dicant, neceſſe eſt.

(2.) Quia pro hâc praxi Synagogicâ ſtabiliendâ nullam priſci temporis hiſtoriam, traditionem Catholicam nullam proferunt, nec proferre poſſunt Judæi. Dicunt, fateor, *Elianiſtæ* hanc conſuetudinem toti genti Judaicæ in omnibus ubivis Synagogis eſſe communem: ſed hoc, quicquid eſt, Oraculi de Judæi Occidentalibus intelligatur, oportet. Cæterorum enim conſue-

tudines, unde forsan aliquid lucis huic controversiæ dirimendæ affulgeat, pleræque omnes nos latent.

(3.) Quia, quod dicunt Judæi, se nimirùm velle libris non punctatis *Mosis Autographon* repræsentare, fucus,& prætextus putidus esse videtur, quo abuti necesse habent ad hanc ex Cabalistarum lacunâ petitam consuetudinem palliandam. Quis enim non damnaret istiusmodi legis exemplar, quod nihil ob punctorum absentiam, præter tenebras, & incertitudines præderet, nisi metu aliquo venerabundo, & ἰυλαβείᾳ, ne in ipsum *Mosis Autographon* Blasphemias loqueretur, cujus verum & accuratum Ectypon volumen Synagogicum, hoc solo prætextu inductus, esse suspicatur, absterritus esset. Hisce igitur perpensis, non est, quòd quisquam punctorum Αὐθεντίαν & genuinam antiquitatem in dubium vocet, propter consuetudinem hanc novitiam, quâ non sine sacrilegâ quâdam audaciâ, cautum est, ne Volumen Synagogicum sit vocalium, & accentuum notis locupletatum.

(3.) Objiciunt, non deesse inter Judæos, doctissimos, qui huic sententiæ subscribunt, puncta videlicet non esse literis coæva, sed à *Masorethis Tiberiensibus* Originem habuisse. Pro hâc sententiâ citant *Aben Esram*, & præter illum, unum vel alterum Rabbinum, qui punctorum inventionem *Masorethis Tiberiensibus* videntur ascribere. D. *Walt. Proleg* 3. §. 42.

Respond. Argumentum hoc inexpugnabile aliquibus videtur, sed videtur tantùm. Nam

(1.) Esto, quòd *Aben Esra* punctorum Originem

nem Rabbinis *Tiberienſibus* aſcripſerit, atque forſàn unus vel alter præter illum, planè tamen elumbe eſt argumentum ab eorum teſtimoniis deſumptum.

(1.) Quia longè plura extant teſtimonia, apud doctiſſimos, antiquiſſimoſque Hebræos, quàm quæ in *Elianam* adferuntur ſententiam, quæ conſtanter aſſeverant, puncta tum vocalia, tum accentualia, quibus hodiè textus Originalis donatur, eſſe literis coæva, vel ſaltem ab *Eſra* inventa. Quis verò unus, vel alter ſubleſtæ fidei Rabbinus, ut communibus totius gentis Judaicæ teſtimoniis præponeretur? Plus vident oculi, quàm oculus, ſi fides Adagio ſit adhibenda: pluſque pari ratione valent teſtimonia quàm teſtimonium.

(2.) Quia (quod ſupra demonſtravimus) teſtimonia hæc ſiqua ſunt, parum (ut verbis Doctiſſimi *Walton.* in rem meam utar) ponderis habent, cùm domeſtica ſint, & in propriâ cauſâ ab iis profecta, qui quidlibet fingunt, quod ad gentis ſuæ gloriam, facit; atque ideò pro punctorum ἀυθεντίᾳ vel unius teſtimonium maximum momentum habet, & ſexcentis aliis præferri debet.

(3.) Omnia, quæ contra punctorum ἀυθεντίαν, adferuntur loca ex *Aben Eſra* & ceteris petita, vindicavit *Buxtorfius*, oſtenditque *Elianiſtas* eorum ſenſum minùs attigiſſe, ſed in ſenſum prorſùs alienum detorſiſſe. Nos verò ſuprà regeſtis ſtamus.

(4.) Objiciunt, quòd in toto Talmude, tam in *Miſchna*, quàm in *Gemara*, nulla eſt punctorum

mentio ; ſed altum ſilentium in vaſtis illis voluminibus, argumentum validum ſuppeditans, eorum compilatoribus puncta prorſus ignota fuiſſe : præſertim cùm in locis plurimis occaſio ſe obtulit ; imò neceſſarium fuiſſet illorum mentionem facere, ſi tunc extitiſſent, ſcilicet cùm controverſia erat de vocabuli alicujus lectione, quod punctis deſtitutum variè legi poterat. Ut in *Iſa.* 54. 13. ubi hodiè legitur כָּל־בָּנַיִךְ omnes filii tui : notant in *Talmud*, *in diſput.* ad finem libri *Berachoth*, non legendum בָּנַיִךְ ſed בּוֹנַיִךְ, hoc eſt, non filii tui, ſed ædificatores tui. Hîc certè debuerant dicere non legendum בָּנַיִךְ cum *Chamets*, ſed בּוֹנַיִךְ cum *Cholem* ; & vocales nominâſſent, ſi tales aliquas habuiſſent. *Walt. Proleg.* 3. §. 43.

Reſpond. Hæc eſt objectio, quam omnibus viribus, ſi quas habet, inſtructam, exhibuimus, in quâ ſerio triumphant punctorum hoſtes : ſed ante victoriam triumphum illos ceciniſſe, anſulamque gloriandi hinc fruſtrà captâſſe, ex iis, quæ ſequuntur, innoteſcat.

(1.) Fallunt & falluntur *Elianiſtæ*, ullam punctorum mentionem in toto Talmude fieri negantes : horum enim ſæpiùs fit mentio, in genere quidem & implicitè, licèt in ſpecie & nominatim non item. Loca & teſtimonia hùc ſpectantia protulit ante multos annos *Buxtorfius* pater, eaque omnia ſolidè vindicavit ab exceptionibus *Lud. Capelli Buxtorfius* filius ; ex quibus hæc, Lectoris in gratiam, nos hîc adducemus.

Locus primus in quo Hebræi volunt fieri punctorum mentionem, extat in Talmud *Hieroſolymitano* ;

lymitano; *Megilla*, *cap.* 4. ubi adducentes *Nehem.* *cap.* 8. *ver.* 8. dicunt, quod per istam clausulam, intellexerunt lectionem, intelliguntur פְּסוּקֵי טְעָמִים id est distinctiones accentuum. Eadem interpretatio ejusdem clausulæ occurrit, Talmude *Babyl. cap.* 1. *fol.* 3. Hîc observet candidus Lector, mentionem fieri, in hisce locis, accentuum; per quos quidem accentus, *Capellus* vult intelligi non figuras, sed potestatem; sed Hebræi omnes reclamant, dicuntque per פְּסוּקֵי טְעָמִים intelligi puncta omnia tum vocalia tum accentualia. Ita Rabbi *Solomonis* glossa. פְּסוּקֵי טְעָמִים distinctiones accentuum sunt, פְּסוּקֵי הַנְּגִינוֹת distinctiones Modulationum, אֵלּוּ הַנְּקוּד וְהַטְּעָמִים punctatio videlicet & accentus. Hinc luce Meridianâ clarius est, Hæbræos qui ad unum sequuntur *R. Solom.* omnes intelligere פְּסוּקֵי טְעָמִים (quæ phraseologia sæpiùs in Talmud occurrit,) de figuris Scripturæ, de punctis nempe tum vocalibus, tum accentualibus, non de sono, & potestate tantùm. Ita *R. Asarias Meor Enaijm part.* 3. *cap.* 59. & *Ephodeus cap.* 5. Quibus adstipulatur *Buxtorfius* pater, *Tiberiadis cap.* 9. *pag.* 8. sic & filius, *lib.* 1. *cap.* 6. de punctorum Antiquitate; ubi disertè asserit, quod vox טַעַם perpetuo & continuo usu apud Hebræos intelligitur, עַל רְשָׁמִים וְסִימָנִים, de signis ac figuris scriptis, non de sonis.

Præter hæc duo jam allegata, alia occurrunt loca in Talmude, punctorum mentionem facientia; ut in *Nedharim fol.* 37. *col.* 1. & in *Berachoth fol.* 62. sic & in *Chagiga. fol.* 6. *col.* 2. quæ certè omnia sufficiunt, Adversariorum Antecedenti

tollendo, quo ausi sunt negare, ullam punctorum mentionem in toto Talmude fieri. Sed misso Antecedente.

(2.) Consequens ego neutiquàm sum ad[illegible]surus, quippe maximè precarium & inconsequens. In corpore Talmudico nulla punctorum fit mentio; ergò tempore quo Talmud consarcinabatur, non extiterunt. Qualis est hæc consequentia? quis hominum crederet se obstrictum teneri, ut concesso Antecedente, concederet consequens? Ne quidem Judæus Apella. Cur autem hoc ego negarem consequens, hæ rationes impellunt.

(1.) Quia Talmudistæ omnes aliud agunt; atque ideò punctorum mentionem facere, illis non esset ἔργον, sed παρεργον; non propriam, sed alienam messem curare. Certè Talmudicorum fuit, non literas, sed leges; non res grammaticas, sed civiles religiosasque; non puncta vocalium, & accentuum, sed juris apices proferre discutiendos. Hospes sit oportet in opere Talmudico, qui nescit illud totum versari in ritibus & juribus explicandis; unde nemini mirum videri debet, si de literis, punctis, syllabis nominum declinationibus, verborum paradigmatibus, pronominibus suffigendis, cæteriisque istiusmodi Grammaticalibus, nihil prorsùs præcipiat.

(2.) Nulla occasio, nedùm necessitas Talmudicis objiciebatur, punctorum nominæ proferendi. Non tantùm aliud egerunt, sed aliud istud peragere, nullâ punctorum mentione factâ, illis, si libitum fuisset, planè licuit. Qui enim puncta habuerunt, quid ni illis pro re natâ uterentur,

rentur, omiſſis eorum nominibus, (quæ forſan vixdùm *Technica* evaſerant) ut res tota compendifieret? Ne cui tamen τὸ ἐν ἀρχῇ λαμβάνειν videar, hæc ſunt quæ me induxerunt argumenta ut credam, Talmudicos punctorum notitiam habuiſſe, illiſque in opere Talmudico deſcribendo uſos fuiſſe.

(1.) Teſtimonia Judæorum textum Talmudicum à tempore Talmudis conſarcinati, punctatum fuiſſe, affirmantium. Hebræi enim teſtantur, inſigniora vetera exemplaria Manuſcripta *Miſchnica*, quæ textum Talmudicum complectuntur, qui ſecundo poſt Chriſtum natum ſæculo conſcriptus eſt, punctis tum vocalibus tum accentualibus donata fuiſſe; ut ſcilicet non minor circa ſcriptionem eſſet Legis Oralis, quàm Legis ſcriptæ perfectio. Hinc (inquit *Ephodeus* in præfatione libro ſuo præfixa) (תִּמְצָא כָּל־סִפְרֵי הַמִּשְׁנָה הַקְּדוּמִים נְחוּבִים עִם הַנִּקּוּד וְהַטְּעָמִים:) invenies omnes libros *Miſchnicos* antiquos ſcriptos cum punctis & accentibus. Hoc ipſum teſtatur *Joſephus del Medico*, in libro cui titulum conſtituit, מצרף לחכמה. *fol.* 10. *col.* 1. Sic & *R. Aſarias* in *Meor Enaijm*, *cap.* 59. *fol.* 180. ubi teſtatur ſe duo vidiſſe exemplaria *Miſchnica* quingentis annis antiquiora, cum punctis & accentibus diſtinguentibus. Hinc ſaltem verisimile eſt, ipſos Talmudicos & noviſſe puncta, & iis in Opere Talmudico deſcribendo uſos fuiſſe.

(2.) Vulgata illa dirigendi Lectoris formula, quâ utuntur Talmudici, quoties varia alicujus lectio occurrit, dicentes אַל תִּקְרֵי כֵן אֶלָּא כֵן

ne

ne legas ſic, ſed ſic. In Talmud tractatu *Sota*, *cap.* 1. *fol.* 4. *col.* 2. occurrit במה; ubi quidam Ula ut hanc voculam accommodet, ad ſuum propoſitum, addit, ne legas ſic במה in quo, ſed ſic במה, excelſum, item *fol.* 5. *col.* 2. occurrit שם ex *Pſalmo* 50. *ver.* 23. excerptum; de qua dictione ſcribunt, ne legas ſic שם, poſuit; ſed ſic, שם, ibi. In hiſce & iſtiuſmodi inſtantiis, variam vocabuli Lectionem indigitari, conſtat; hoc verò factum fuiſſe per puncta cuique vocabulo, pro variâ lectione ſuppeditata, ex eo non minùs manifeſtum, quòd, puncta cuique lectioni exprimendæ idonea, non nominantur. Quùm enim Talmudici dicunt, ne legas ſic במה, ſed ſic במה; nunquàm dicunt, ne legas ſic, per *Pathach* & *Segol*; aut ſic per duplex *Chamets*, expreſſo vocalium nomine: atque ideò liquet, eos puncta illa in vocibus ſignâſſe, expreſſis videlicet eorum figuris; quia ſi ſecùs feciſſent, nihil certi exprompſiſſent, ſed peſſimè, delirorum inſtar, fuiſſent nugati. Quis me inſanire non crederet, ſi aſſignaturus differentiam inter hunc hominem, & hanc hominem, tantùm dicerem, ne legas ſic hnc hominem, ſed ſic hnc hominem, omiſſis vocalium diacriticarum, tum nominibus, tum figuris? Sed ubi ſubſternuntur vocales, rectè ſupprimuntur earum nomina; quod ſolam ob hanc rationem in Talmud fuiſſe factum credamus, oportet; niſi Talmudicos omnes inſaniîſſe, dicemus. Sed hìnc, ni fallit augurium, conſtat, Talmudicos in opere Talmudico deſcribendo punctis uſos fuiſſe: ac proin nulla illis vel neceſſitas, vel occaſio dabatur, punctorum nomina

mina proferendi. Quorsùm enim onerarent paginas repetitis punctorum nominibus, cùm punctorum figuris, pro variâ cujusque vocabuli lectione, uti licuit? Plura, quæ in rem meam faciunt, hîc missa facio. Quippe ex modò dictis satis liquet, quàm imbellis, & prorsùs nullius ponderis est ista objectio, à præsumpto totiùs Talmudis in negotio punctorum silentio, desumpta, quam ego diluendam suscepi, & tandem suscepta dilui. Tantùm observet hîc Lector candidus, quòd vulgatum istud Talmudicum, quo dicunt, ne legas sic, sed sic; omissis utrobique punctorum nominibus, adeò punctorum novitatem non probat, ut eorum planè Antiquitatem Ante-Talmudicam, Talmudicosque iis usos fuisse, manifestò evincit.

(5.) Objiciunt punctorum hostes, quòd Cabalistæ Ante-Talmudici, qui Mysticas Scripturæ expositiones sectantur per literarum permutationem, Gematriam & Notaricon, Mysteria sua, vel potiùs aniles fabulas ex solis literis sive consonis hauriunt, nulla ex punctis & accentibus: quod (inquiunt illi) planè probat, puncta illorum temporibus, non extitisse; vel eos non sensisse, puncta à Deo per *Mosen* vel *Esram* profecta fuisse; cùm ex iis, & eorum numero, ordine & figuris, non minùs quàm ex consonis, Mysteria sua extraxissent, si divinam auctoritatem in iis agnovissent. Dr. *Walt. Proleg.* 3. §. 43.

Respond. Qui hâc utuntur objectione, nihil planè aliud efficiunt, nisi ut omnibus innotescat, quantâ cum animi hallucinantis, præsumptione, omnia

omnia agunt ; quanti in omni re Cabaliſticâ hoſpites ſunt ac peregrini. Certè veritatis nihil expromunt ; ſed ignorantiam , & ἀναβαλισμὸν , quo laborant, manifeſtò produnt. Non enim ſparſis ſententiis, ſe concludi patiuntur, ſed tractatus conficiunt integros , quæ de Myſteriis ex punctis & accentibus oriundis, memoriæ prodiderunt Cabaliſtæ , tum veteres tum Moderni. Inſtantias hùc ſpectantes ſuprà adduximus, quàm plurimas ; nos verò hîc è multis, quas ſupra adductis addere licuit , paucas tantùm lectoris in gratiam addendas duximus, earúmque tum pondera , tum vindicias poſteà ſubdemus.

Inter omnes, *Cabaliſtæ* teſtes punctationis Hebraicæ proſtant locupletiſſimi , qui *Midhraſhim*, ſeu interpretationes Myſticas & Allegoricas ex punctis vocalibus, & accentualibus, ſicùt ex ipſis conſonis nuſquàm non expiſcantur, eliciuntque. In libro Cabaliſtico,cui titulus מערכת האלהות, *hoc eſt*, diſpoſitio divinitatis, cujus Auctor *Perets* Sacerdos , qui ante annum 1240 vixit , *cap.* de nominibus divinis , *fol.* 25. *col.* 2. hæc in rem noſtram occurrunt. שֶׁהָאוֹתִיּוֹת בָּאוּ מִסְּפִירַת הַבִּינָה וְהַנְּקוּדוֹת מֵהָ חָכְמָה וְהַטְּעָמִים מֵהַכֶּתֶר : *Hoc eſt.* Literæ proveniunt ex numeratione Cabaliſticâ , quæ vocatur intelligentia ; puncta ex ea quæ dicitur ſapientia ; & accentus ex eâ, quæ corona appellatur. Hæc autem non ex ſe, ſed ex duobus libris Cabaliſticis אידרא , & צניעותא, ſe longè antiquioribus protulit Auctor. Cujuſdem libri de punctatione conſcripti mentionem facit *R Jehudah Muſcatus*, in *Com. Coſri. part.*

part. 4. *fol.* 230. Hujuſce libri Cabaliſtici dicit idem *R. Jehudah*, auctorem fuiſſe. *R. Aharonem* Cabaliſtam maximum, רֹאשׁ יְשִׁיבַת בָּבֶל caput Academiæ *Babelis*. Ex eo docet, neminem hominum ſuis viribus aſſequi reverà poſſe, quomodo ספר וספור וספר inſint naturæ & eſſentiæ divinæ. וְעַל וְה הַפְּסוּד הַנִּפְלָא נְקוּדַת מִלַּת אֶחָד שֶׁהִיא בְּפָסוּק שְׁמַע יִשְׂרָאֵל ה אֱלֹהֵינוּ ה אֶחָד בְּסֶגוֹל וְקָמֵץ בַּאֲשֶׁר נִמְצָא בְּסֵפֶר מְרוּיָק יְרוּשַׁלְמִי :

Hoc eſt; propter hoc admirandum myſterium punctata eſt vox אחד *Deut.* 6. 4. cum *Segol* & *Kametz*, prout invenitur in libro correcto *Hieroſolymitano*.

In libro Cabaliſtico, cui titulus עִסְּרְפּוּנִים, Latinè Muſtum Malogranatorum, *cap.* 8. hæc καβαλισμὸν redolentia habemus. אָמְרוּ טְעָמִים רַחֲמִים גְּמוּרִים נְקוּדוֹת דִּינִין גְּמוּרִים תָּגִין רַחֲמִים פְּשׁוּטִים אוֹתִיוֹת דִּינִין מְסוּגָּים :

Hoc eſt. Dicunt, accentus ſunt miſericordiæ perfectæ; puncta ſunt judicia perfecta; apices literarum ſunt miſericordia ſimplex; literæ judicia mixta. Sed quid inſtantiis partitis, & teſtimoniis fruſtillatis immoror? Integri tractatus, multique libri nunc extant, & ab omni retrò Antiquitate Cabaliſticâ, extiterunt, in quibus nihil aliud captant & venantur Cabaliſtæ, quàm interpretationes Myſticas, & Myſteria quàm plurima ex punctis Hebraicis elicienda.

R. Moſes

R. Moſes bar Nachman, qui vixit anno poſt Chriſtum natum 1200 plus minùs, in *Com.* ſuper *lib. Jetſirah*, *fol.* 61. reddens rationem quorundam punctorum ἀνωμαλῶς poſitorum, dicit, (חִבְּרוּ עַל זֶה הַסֵּדֶר סֵפֶר הַנִּיקּוּד הַגָּדוֹל אֲשֶׁר חִבְּרוּ רַב אַשִּׁי בְּבָבֶל וְהוּא נִמְצָא הַיּוֹם בִּישִׁיבָתֵנוּ : *Id eſt.*) & de hiſce Arcanis compoſitus eſt liber punctationis Magnus, quem compoſuit *R. Aſſe in Babylonia*, qui etiamnùm hodiè reperitur in Academiâ noſtrâ. Hîc autem quorſùm tot & tanta Myſteria in punctis venantur, ſi non ſunt cælitùs data, ſed humanitùs excogitatâ, Bibliiſque ſacris affixa? Fruſtrà in hiſce *Arcana* reponunt; fruſtrà myſteria ex illis elicere ſatagunt; fruſtrà de punctorum admirabilibus libros integros conſcribunt; ſuppoſito, quod vellet *L. Capellus*, puncta poſt quingenteſimum à Chriſto nato annum, à *Maſorethis Tiberienſibus* fuiſſe inventa. Sic planè viſum eſt *R. Aſariæ*, *Meor Enaijm*, *cap.* 59. *fol.* 180. qui de Myſteriis, quæ in accentibus quærunt Cabaliſtæ, pleno ore dicit. (וְאֶמֶת כִּי בִּרְאוֹתֵנוּ הַמְקוּבָּלִים מְיַחֲסִים גַּם לָהֶם סוֹדוֹת כְּאָמוּר יִתֵּן שֶׁנִּתְקַבְּלוּ מִסִּינַי : כִּיאִם הָיוּ אַחֲרֵי כֵן הַמְצָאַת מִי מִשַּׁלְּנוּ יוֹדֵעַ מַחְשְׁבוֹת אָדָם אִם הֶבֶל הֵמָּה : *Hoc eſt*; eſt ſanè cùm videamus, Cabaliſtas accenſere illis (accentibus) quoque ſecreta vel myſteria, utì viſum, ſequitur, illos eſſe acceptos è Monte *Sinai*. Nam ſi eſſent nova

nova inventio alicujus è nobis, Deus qui novit cogitationes hominum, ſcit, annon vanitas eſſet.

R. Aſſe fertur vixiſſe circa annum à Chriſto nato 360, aut eo circiter, quod *N. B.*

R. Joſephus del Medico Cretenſis in libro, cui titulum fecit, נובלות חכמה, *fol.* 195. meminit quoque libri cujuſdam Cabaliſtici antiqui, de punctatione, & ejuſdem ſecretis admirandis conſcripti.

Hiſce licet addere *Keneh Binah*; liber Cabaliſticus antiquus, eſt, cujus Author *Kana* filius *Gadur* de familiâ *R. Nechoniæ* filii *Kanæ*, qui librum *Bahir* conſcripſiſſe dicitur. Totus hic liber eò tendit, ut doceatur, (שֶׁהַפָּסוּק הַזֶּה הוּא יְחוּד הַשֵּׁם יִתְבָּאֵר בְּאוֹתִיּוֹת וּבְנְקוּדוֹת וּבְטַעֲמִים וּבְקְרִיאָתָם וּבִכְתִיבָתָם :) verſum iſtum (nempe *Deut.* 6. 4.) docere revera Unitatem Dei in literis, punctis, & accentibus, horumque tam lectione, quàm ſcriptione.

Reuchlinus denique meminit, *R. Joſephi Ben Gecatilja*, qui tria conſcripſit volumina Cabaliſtica, primum de dictionibus, ſecundum de literis, tertium de punctis, quorum in librum unum redactorum titulus extat, גנת אגוז id eſt, hortus nucis. *lib.* 1. Cabalæ ſuæ. Hujus libri Author, adeò ingenio indulget Cabaliſtico, ut in nullo puncto non venatur Myſteria & *Arcana.* De *Kamets*, *Tſere*, *Chirek*, *Cholem*, & *Schurek* verba faciens, dicit (כִּי אֵלּוּ הַחֲמִשָּׁה מֵיְנֵי נִיקּוּד הַמְּסוּרוֹת לָנוּ סוֹד תְּכוּנוֹת כָּל־הָעוֹלָם *id eſt* iſtæ

iſtæ quinque ſpecies punctorum docent nos ſecretum diſpoſitionum totius mundi. Quæ eodem libro, & aliorum occurrunt, miſſa facio quàm plurima, ut tum crumenæ, tum patientiæ Lectoris conſulatur; hæc ob rei noſtræ chartaceæ penuriam, ex *Buxtorfio* in Lectoris gratiam traduximus, ad quem ſi plura volet, illum remiſſum volumus. Sed ex hiſce planè conſtat, Cabaliſtas faviſſe punctorum Antiquitati. Hiſce plura ſuperaddere haud opus eſt; quippe ex inſtantiis ſuprà, & jam allatis ipſâ luce clariùs eſt, Cabaliſtas Myſteria æquè ex punctorum, ac ex literarum, nominibus, ordine, & figurâ, elicere. Cùm igitur tanta hujuſce objectionis Antecedenti inſit vanitas, tanta hallucinatio, tantúſque error à manifeſto veritatis tramite deflectens, non eſt quòd impræſentiarùm de conſequenti laboremus. Nec eſt, quod regerant Adverſarii, inſtantias omnes, non ex Antiquis & Ante-Talmudicis, ſed ex Modernis Cabaliſtis, eſſe deſumptas: Antiquiores enim Cabaliſtæ, qui ſcilicet Myſteria in literis venantur, non extant, quàm quos nos adduximus, etiam in punctis iſtiuſmodi Myſteria venantes. Cuniculos igitur egit, & quod tanto viro indignum fuit, κρηζουγέτῳ uſus eſt non nemo, qui Cabaliſtas omnes Antiquos à Clariſſimo *Buxtorfio* citatos, diſſimulans, tantùm cum natu Minimo, Manus conſerit, objiciens, illum non ante annos ducentos vixiſſe, quod & ipſe *Buxtorfius* ultrò confeſſus eſt. Sed prudentis eſt multa diſſimulare; ea omnia præſertim inter diſputandum, quæ longè evidentiora ſunt, quàm quibus refragandis amoliendiſque univerſæ

ejus

ejus vires ſufficiunt. Verùm enim verò nolim, adhuc Lectoris credulitate abutantur punctorum hoſtes, Ante-Talmudicos quoſdam Cabaliſtas crepantes, quos nemo unquàm vidit; nedùm ipſimet: ſed dicant nobis, bonâ fide, quinam ſunt iſti Cabaliſtæ Ante-Talmudici, qui nulla in punctis, ſed omnia in literis venantur Myſteria; quid librorum Memoriæ prodiderunt; & ſi hoc dixerint, porrò etiam dicant, unde conſtet, illos reverâ veteres eſſe & Ante-Talmudicos? Secùs fruſtrà poſthàc uſuri ſunt hac objectione, à neſcio quibus Chimericis Cabaliſtis deſumptâ, qui nuſquàm loci inveniuntur, niſi in Maleſanis *Elianiſtarum* cerebellis, qui pro arbitrio nulla non fingunt, in ſuæ cauſæ ſubſidium ceſſura.

(6.) Objiciunt, ex variis Lectionibus (quas *Keri* & *Chethibh* vocant) firmum peti argumentum, puncta tunc non extitiſſe, cùm primùm ſignabantur, quia omnia verſantur circa literas, ſive conſonantes, ne una circa puncta vocalia vel accentus: in quibus tamen facilior eſt error ſcribæ, quàm in literis, & major exemplarium varietas inde oriri poſſet. *Walt. Proleg.* 3. §. 44.

Reſpond. Quæ primo hujuſce objectionis membro tollendo ſufficiunt, nos ſuprà adduximus, atque planè evicimus, plurimas è Lectionibus Marginalibus ex anomalâ punctatione vocibus intra textum conſcriptis ſuffixa, eſſe oriundas; proindeque Antiquitatem tantam non habere, quantam ipſa punctatio. Pluribus igitur hîc loci, nullâ cauſæ noſtræ injuriâ allatâ, nos ſuperſedemus.

Sed multa alia ſunt circa *Keri* & *Chethibh* obſervanda (inquit Adverſarius) quæ punctorum Novitatem apertè probant: hæc igitur non ſunt diſſimulanda, (niſi arte *Elianâ* liceat uti, quæ omnia iſta docet diſſimulare, quibus refellendis non ſumus) ſed ex ordine ſub examen revocanda.

(1.) Puncta, quæ τῷ *Chethibh*, ſive voci intra textum apponuntur, non habent puncta ſibi propria affixa, ſed puncta, quæ ad vocem Marginalem ſub *Keri* pertinent, quo lector monetur, vocem in Margine legendam eſſe, ſed cum punctis, quæ ſunt in textu ſub *Chethibh*. At quàm indigna (inquit Adverſarius) hæc ſunt divino auctore, ut puncta ſub una voce in textu ponantur, ad aliam in Margine pertinentem? Quis ſanæ mentis credet talem punctationem à Spiritu Sancto eſſe, vel à Scriptoribus Sp. S. afflatis? Hæc & plura ejuſdem furfuris in prima hac exceptione occurrunt. *Walt. Proleg.* 3. §. 44.

Reſpond. Juſtitia, quæ cæca depingitur, ſuas ſemper habet manus oculatas. Qui calamum in ſacras paginas audaciùs diſtrinxit, aliquid abſurdi, Monſtroſi, & incongrui, punctationi Biblicæ affricturus, illi, ſupremi numinis fato, in ἀνλιμαξίαν ita ordinante, haud quidem hic vacabat Grammaticè loqui. Sic enim, non ſine leviculâ quâdam incongruitate, orditur. Puncta, quæ, τῷ *Chethibh*, ſive voci intrà textum apponuntur, non habent puncta ſibi propria affixa, ſed puncta quæ ad vocem Marginalem ſub *Keri* pertinent. Quid ſibi vult iſta clauſula, puncta, quæ τῷ *Chethibh*, ſive voci intrà textum apponuntur,

nuntur, non habent puncta? Certè dixiſſe voluiſſet, puncta quæ τῷ *Chethibh* ſive voci intra textum apponuntur, non ſunt voci iſti textuali propria, ſed ad vocem marginalem ſub *Keri* pertinent? Sed clauſula ſequens immani laborat Solæciſmo; at quàm indigna hæc ſunt Auctore divino, ut puncta ſub una voce in textu ponantur, ad aliam in Margine pertinentem? Certè nullâ tam Monſtroſa, & horrida incongruitas in totâ punctatione Biblicâ occurrit, quàm in unicâ hâc voce, pertinentem, quæ, ut ad puncta, vel ad nullum referatur Subſtantivum, oportet. Sed tranſeat harum clauſularum forma minùs congrua; materia eſt, ob quam Dr. hic profundus, divinam Originem punctis Hebraicis derogandam eſſe ſpiravit; nempe quia puncta ſuas habent Anomalias. Sed

(1.) Dato, omnia ita ſe habere reſpectu τῶν *Keri* & *Chethibh*, tamen nos ſuprà evicimus, in totâ punctatione Anomalâ, quæ τῷ *Chethibh* ſubſternitur, & ad τὸ *Keri*, juxta communem Calculum, pertinet, quanta quanta eſt, nihil planè occurrere vel Spiritu Sancto, vel Scriptoribus Θεοπνεύστοις indignum.

(2.) Tota hæc objectio hâc nititur hypotheſi, longè falſiſſimâ, ſcilicet, quòd à poſitione punctationis Anomalæ, ad divinæ punctorum Originis Negationem valere conſequentiam; quam quidem conſequentiam, & lunam ex caſeo gramineo conflari, quia ita fabulantur homunciones ruſtici, ego pariter ſum conceſſurus. Quâ enim lege obſtrictus tenetur Deus, curare, ut nihil Anomalum in totâ punctatione Biblicâ occurrat,

ſed ut omnia canonibus Grammaticaſtrorum curioſulis conformia fiant, ac analoga? Certè ſi hoc ſit argumentari, tum pari ratione, à poſitione literationis (indulgeat mihi ὀνομαλοποιῦσθαι, Moroſus quiſque *Ariſtarchus*) anomalæ (cujus quidem cenſûs ſunt omnes literæ Majuſculæ, & Minuſculæ; inverſæ, & ſuſpenſæ; non plenè, ſed defectivè ſcriptæ; cum ſuccedaneis & mutuatitiis) ad divinæ literarum Originis negationem argumentari licebit; & ſic tandem actum erit, de totis Bibliis. Hâc enim valente conſequentiâ, cui ineſt Anomalia, id à Deo non eſt profectum; neque certè vola, neque veſtigium divinæ Scripturæ, totum tum vetus tum novum teſtamentum complectentis, ſartumque tectumque diu manebit.

(2.) Objiciunt quod obſervârunt *Maſorethæ*, quinque voces eſſe quæ in textu ſcribuntur, ſed non leguntur, quia abundant: unde & nulla puncta ſibi affixa habent; ut *Jer.* 51. 3. יִדְרֹךְ ſcribitur in textu, ſed non legitur, nec puncta ei ſubſtituuntur. *Walt. Proleg.* 3. § 44. *Capel. Arcan. Punct. lib.* 1. *cap.* 11. §. 6.

Reſpond. Sed hoc divinæ punctorum Origini minùs officit; in iſtiuſmodi enim exemplis ſtudetur compendio, idque ſine omni veritatis diſpendio. Quia ex punctis voci præcedenti ſubſtitutis, conſtat de verâ vocis ſequentis lectione; in hiſce enim caſibus vox ſequens, ſemper iiſdem punctis eſt legenda, quibus vox præcedens. Utcunque perſtringit tantùm hæc objectio *Maſorethas*, puncta in iſtiuſmodi vocibus omittere audentes: nequaquàm divinam punctorum Originem

nem labefactat, quæ forsàn vel istis vocibus substerni debuissent, nisi *Masoretharum*, aliud suasisset, authoritas.

(3.) Objiciunt, quòd in aliis locis occurrunt, voces septem, quæ non scribuntur in textu, sed spacium vacuum relinquitur: leguntur tamen, solis punctis vocalibus adscriptis sine literis; ut *Jer.* 31. 34. post יְהוָה spacium vacuum relinquitur sine consonantibus; in Margine verò ponitur vox quæ legenda est cum punctis in textu. *Walt. Proleg.* 3. §. 44. *Capel. Arcan. Punct. lib.* 1. *cap.* 11. §. 7.

Respond. Næ illi opus est ingenio valdè Chymico, istiusmodi scilicet quòd quodlibet ex quolibet sit extrahendo, qui vim hujusce argumenti planè perspectam haberet. In Objectione præcedenti, rejiciebantur puncta Hebraica, quia quinque occurrunt voces in textu, quarum omittuntur puncta: in hac verò rejiciuntur, quia septem voces omittuntur in textu, quarum puncta in textu occurrunt. Hæc se habent planè contrariè: utrobique tamen hæc est illatio; ergô puncta Hebraica non sunt à viris Θεοπνεύστοις profecta, sed à *Masorethis Tiberiensibus*; quidni & idem inferunt de ipsis literis, quæ aliquando scribuntur in textu, omissis earum punctis; aliquando omittuntur in textu, solis earum punctis adscriptis? Amotæ mentis sit oportet, qui quanta vanitas, spuma, nihilque prætereà, hisce ineat cavillatiunculis, non videt.

(4.) Objiciunt, quòd variæ sunt voces, quæ in textu divisim, quasi duæ essent, ponuntur; de quibus notatur in Margine, conjunctim, ut una

vox, legendas: & contrà quædam ſunt, quæ conjunctim in textu ſcribuntur, & in margine notantur diviſim legendas eſſe. Vid. exemplum prioris *Jer.* 6. 29. מֵאֵשׁ חֵם pro מֵאֵשׁחֵם: poſterioris 2 *Chron.* 34. 6. בְּחַרְבוֹתֵיהֶם, pro בְּחַרְבוֹתֵיהֶם. Quæ ſequuntur de vocibus, quæ alienis punctis affici ſupponuntur, nos ſuprà diluimus; hic ſola igitur reſtat hæc objectio diluenda. *Walt. Praleg.* 3. §. 44. *Capel. Arcan. Punct. lib.* 1. *cap.* 11.

Reſpond. Quid hoc ad Iphicli boves? Literæ in eâdem voce conjungendæ, aliquando diſlocantur, & vice verſâ; ergo puncta non ſunt à Deo profecta? Quò vos *Elianiſtæ* rapuit ardor? Quæ vos oblivio, (ne dicam, dementia) cepit, ut punctorum Authoritatem oppugnaturi, ea, tantâ cum verborum *Pompâ*, nugaremini, quæ conſonas duntaxat attingunt? Quid ſi literæ aliquando diviſim ſcribuntur, quæ conjunctim ſunt legendæ: & conjunctim aliquando ſcribuntur, quæ ſunt diviſim legendæ; ſúntne puncta Hebraica in cauſa; vel ideò accuſanda? Eloquimini, totumque quod, huic ineſt objectioni, venenum proferte, ſcilicet, quia & literæ & puncta ſuas habent Anomalias, neutrum igitur horum eſſe viris θεοπνεύστοις adſcribendum, ſed *Maſorethis Tiberienſibus*, vel neſcimus quibus Nebulonibus ambo. Nefanda planè illatio ac prodigioſa; quippe ex una parte in Deum contumelioſa, & blaſphema: ex altera verò parte, adeò ἀπροσδόνυσος, adeò abſurda, adeóque ridicula, ut nihil ultrá.

Sic tandem palmariam objectionem ex variis

Lectio-

Lectionibus, (quas *Keri* & *Chethibh* vocant) oriundam, nec non Cavillatiunculas inde repullulantes, diluimus omnes; reſtat ut, quæ ulteriùs in punctorum præjudicium ab Adverſariis afferuntur, paucis perſtringamus.

(7.) Ex punctorum & accentuum numero, officio, & uſu, genuinam eorum originem blaſphemandi, anſam arripiunt *Elianiſtæ Neoterici*; objiciuntque, puncta quibus hodiè donantur Biblia Sacra, moroſitatem, ſcrupuloſitatem, & ſuperſtitionem potiùs ſapere, quàm inſignem aliquam utilitatem & neceſſitatem, atque ideò illa non viris Θεοπνεύστοις, ſed *Maſorethis Tiberienſibus* eſſe adſcribenda. *Walt. Proleg.* 3. §. 45. *L. Capel. Arcan. Punct. lib.* 1. *cap.* 13.

Reſpond. Objectio hæc (ſiqua alia) ex ſuperbientis animi affectu eſt planè oriunda, & in ſacrarum literarum præjudicium ceſſura æternùm, ni averruncetur. Quod ut efficaciùs fiat, hæc quæ regerenda putavi, perpendat Lector cordatus.

(1.) Objectione hâc ſoli utuntur *Elianiſtæ Neoterici*, *Capellus* ſcilicet, *Waltonus*, *&c.* ipſe verò *Elias Levita*, *Aben Eſra*, *Kimchi*, & quos tenet ſacri textûs ἰυλάξια, omnes, ab ea prorſus abhorrent. Neminem enim (inquit *Buxtorfius*) Grammaticorum vidi aut legi, qui ita contemptìm, ita abjectè de hac punctorum & accentuum inventione judicârit, ut eam maximâ ex parte ſuperfluam, non neceſſariam, inutilem, moroſam, ſcrupuloſam, ſuperſtitioſam, tanto cum ſupercilio pronunciârit. Abitote igitur *Elianiſtæ Neoterici*, (ſi fas ſit, alluſione ad Chriſti verba factâ,

uti) & primùm reconciliaminor fratribus veſtris, & tum venientes offerte munus veſtrum. Nim irùm voſmet viros ſatìs præſtatis, & animi fidentes, qui eorum ſententiæ repugnare auſi fuiſtis, à quorum authoritate veſtra, quanta quanta eſt, pendet opinio!

(2.) Ex numero, officio, & uſu punctorum, non deſunt viri omni exceptione majores, qui eorum ἀυθεντίαν, & divinam originem adſtruere, ſe poſſe putant. Certè ſi æquis oculis & animis nullóque præjudicio occupatis, rem introſpexerimus, punctationem adeò accuratam, adeò perfectam, adeò uſui, cui inſervit, accommodatam, omnibus ſcilicet diſtinctis ſonis exprimendis, ut Θεῖόν τι, & ἔυρημα non Rabbinicum, ſed planè divinum cenſeatur oportet, deprehendemus. Ideò (ut *Balmeſii* verbis utar) videtur hìnc, quod tùm in literis, tùm in punctis lingua noſtra ſit lingua perfectiſſima, & ſcriptura noſtra ſcriptura perfectiſſima quia in eâ nihil deficiens & nihil redundans (בְּרוּב כִּי cum in שְׁאָר הַלְּשׁוֹנוֹת חִסֵּר) מוֹצָא סָרִיס plerìſque aliis linguis deficit prolatio aliqua.

(3.) Hâc hypotheſi longè falſiſſimâ, hæc nititur objectio, nihil ſcilicet eſſe divinum & Θεόπνευσον, nihil verè antiquum præter illud unum, cujus genuinam rationem perſpectam habemus. Nam quia punctorum omnium & ſingulorum veras differentias, & uſus non accuratè animadvertere poſſumus, ideò pronunciat *Capellus* pro more ſuo, punctationem eſſe opus moroſum, ſcrupuloſum, & ſuperſtitioſum, cujus nulla eſt antiquitas, nedùm utilitas. Quæ verò hæc ratio? qualis

qualis tandem hæc conſequentia ? Multa in ſacris literis occurrunt puncta tum vocalia, tum accentualia, quorum rationes, officia, uſus nos hodiè non tenemus ; ergò ſuperflua ſunt , non à viris propheticis addita , ſed à Rabbinis Poſt-Talmudicis pro arbitrio excogitata ? Apage iſtas nugas! iſtas prætumidorum homuncionum blaſphemias ! Nempe inſcitia noſtra , & linguæ ſanctæ ignorantia , calumnioſæ accuſationis ſolidum ſatis erit fundamentum ? Hoc ſi ſemel admittatur,bone Deus , quot millia, non tantùm punctorum, ſed & vocum, imò ſententiarum integrarum, ſunt è ſanctis paginis expungenda ! Sed ſuperbus ſit oportet ad prodigium uſque, qui nihil divinum , nihil literis coævum , nihil utile agnoſcit , niſi quod ipſe capit. Certè & puncta vocalia & accentus ſua habent officia, ſuos uſus , & utilitates, licèt forſàn ex illis aliqua nos hodiè latent. Ita viſum eſt Authori *M. S.* עין הקרא , cujus hæc ſunt verba. כָּל־הַנְּקוּד יְכָל־מוֹצָאֵי תֵיבוֹת וְכָל־הַשְּׁכוּן וְכָל־הַמַּתְיגוֹת כְּדֵי לְהַבְדִּיל בֵּין תֵּיבוֹת לְתֵיבוֹת לָדַעַת אֶת פִּתְרוֹנָם וְאֶת־מְשְׁפָּטָם וְיסוֹדָם : *Hoc eſt.* Omnis punctatio , omnes terminationes vocum, omnes ſedes accentuum , omnia item *Metheg*, inſerviunt ad diſtinguendas voces, ut ſciamus earum interpretationem , formam , & originem, Hæc & iſtiuſmodi apud Grammaticos pleroſque occurrentia ſatis innuunt , puncta omnia & ſingula ſuis gaudere officiis iiſque longè utiliſſimis ; quòd verò nunc temporis omnium officiorum, quibus funguntur, diſtinctas

distinctas rationes minùs assequimur, multa prohibent, quorum aliqua capite 3 libri לויתחן, occurrunt, quæ hùc traducere non pigebit.

וּמִפְּנֵי הַגָּלְיוֹת רָעוֹת רַבּוֹת וְצָרוֹת וְהֶמּוֹן תּוּגוֹת
אֲשֶׁר סָבְבוּנוּ נִבְקְעוּ כָּל־מְעָיְנוֹת הָאוֹתִיוֹת נִפְתְּחוּ
אֲרֻבּוֹת צְנוֹרוֹת הַתְּנוּעוֹת נֶהֶרְסוּ מְסֻגּוֹרוֹת הַקְּרִיוֹת
וְלֹא נֵדַע לַעֲשׂוֹת וְלֹא הַהֶבְדֵּל עַד לֵב נִסְתָּרִים
יָבִין לְדַעַת:

Hoc est. Propter captivitates, mala multa, afflictiones & multitudinem Mœrorum, qui circumdederunt nos, fissi sunt omnes fontes literarum, apertæ sunt omnes cataractæ canalium vocalium, destructa sunt granaria veræ Lectionis, neque poterimus observare differentiam hanc, donec cor stultorum intentum sit ad scientiam. Sed hisce valere jussis, negatur, vel ex punctorum numero, vel ex ignorantia nostrâ eorum, quibus inserviunt puncta, usuum, ullatenùs sequi, punctationem esse ἕυρημα Post-Talmudicum, à *Masorethis Tiberiensibus* excogitatum.

Numerus enim punctorum, quantus quantus est, ex Linguæ Sanctæ genio & ingenio, quæ ubique ἦθόν τι, aliquid peculiare habet, est oriundus: nostra verò ignorantia minutiarum aliquot punctationi peculiarium, non ex punctorum novitate (quod implicat) sed ex oblivione istâ, cui per temporis tum longinquitatem, tum injurias, Lingua Sancta non minimâ ex parte tradita fuit.

(8.) Objiciunt Adversarii, nulla punctorum nomina præter τῦ *Chamets* & *Pathach*, apud Antiquos

tiquos occurrere *Maſorethas*; & quibus hodiè gaudent, non eſſe Hebraica, ſed Chaldaica vel Syriaca pleraque. Hinc inferunt puncta non eſſe literis coæva, ſed à *Maſorethis* Poſt-Talmudicis excogitata.

(1.) Quia puncta eſſe literis coæva vel ab *Eſræ* temporibus, & per tantum temporis intervallum nominibus caruiſſe, planè incredibile videtur.

(2.) Nec minùs illis incredibile videtur, ut puncta exiſterent quamdiu Lingua Sancta fuerit vernacula, & tamen nulla nili Chaldaica vel Syriaca ſortirentur nomina. *Walton. Proleg.* 3. §. 45.

Reſpond. Certè in objectione hâc proferendâ, non Reales ſed Nominales ſe præſtiterunt diſputatores, Adverſarii. Hîc quidem Conſequens negâſſe, nullâ Antecedentis habitâ ratione, liceat: Non admodùm enim mirandum eſt, etiam exoticis & peregrinis vocabulis vocales appellatas eſſe, præſertim cùm literæ ſimiliter magna ex parte, Syriaca nomina habeant. *Baumbach. cap.* 2. ſed eorum gratiâ, quorum eſt Antecedens, illud nominale licet, reali dignabimur reſponſione.

(1.) Primum igitur Antecedentis membrum quod attinet; negatur nulla præter ר֫ *Chamets* & *Pathach* nomina apud Antiquos occurrere *Maſorethas*; occurrit enim nomen ר֫ *Segol* in *Maſora*; ſic *Deuteron.* 5.10. ad עשרי notatur ו בסיפ בסגול tria in hoc libro ſunt cum *Segol. Gen.* 25. 11. ad ראי notatur, ו בחולם ſexies eſt cum *Cholem.*

lem. 2 *Sam.* 6. 23. ad מוֹתֹה, notatur, unum eſt cum *Kibbuts-pum*, id eſt cum *Schurek*. Hæc igitur & hujuſmodi exempla, quæ paſſim in antiquis reperiuntur exemplaribus, primo Antecedentis membro falſitatis convincendo ſufficiunt.

(2.) Secundum Antecedentis membrum, quod attinet, non conſtat pleraque vocalium nomina eſſe Chaldaica vel Syriaca, nec omnia accentuum. *Kamets* fanè *Gadhol* & *Katon*, *Segol*, *Chirek*, *Holem*, *Kamets-Chatuph*, *Chateph-Pathach*, *Chateph-Segol*, *Kateph-Kamets*, *Tſere*, *Schurek*, *Kibbuts*, omnia poſſunt (ſi fides Doctiſſimo *Buxtorfio*) ad Origines Hebræas reduci, & formas habent Hebraicas. Etiam præter hæc, inter accentuum nomina, occurrunt aliqua, quæ Hebraiſmum ſapiunt, licèt non omnia. Si igitur nomina Chaldaica evincunt, vocales iſtas non eſſe literis coævas, quarum ſunt: tùm pari certè ratione, nomina Hebraica, omnia iſta puncta eſſe literis coæva, quorum ſunt, neceſſariò quoque evincunt. Sed miſſo Antecedente, negatur conſequens.

(1.) Non enim ſequitur, puncta eſſe novum quoddam ἐυρημα à *Tiberienſibus* Poſt-Talmudicis inventum, ſi maximè conſtaret, nulla eorum nomina, apud antiquos occurrere *Maſorethas*.

(1.) Nam poſſibile eſt, puncta ſua olìm habuiſſe nomina, licèt eorum *Maſorethæ* non meminerunt. Num liceat nobis eorum omnium exiſtentiam negare, quorum nomina propria non tenemus?

(2.) Cu-

(2.) Cujuſce rei exiſtentia Nominis impoſitione eſt prior. Unumquodque enim Adjunctum ſuum ſupponit ſubjectum. Non licet igitur à novitate Nominum argumentari ad novitatem punctorum; nedùm à Nominum negatione, ad punctorum negationem. Multa enim ſunt, quorum nomina nos latent; etiam quæ propriis nominibus nondùm gaudent.

(3.) Nulla licèt punctis fuerunt nomina Technica (de iſtiuſmodi enim controvertitur) poterant tamen exiſtere, & uſui Legendi optimè inſervire; quemadmodùm res ſe habet apud Latinos, Anglos, *&c.* quorum vocales nulla ſortiuntur nomina Technica, ſolis naturalibus ſonis, pro Nominibus, ad hodiernum uſque diem, contentæ.

(2.) Nec ſequitur, puncta non eſſe literis coæva, ſed novum ἕυρημα Rabbinicum, ſi maximè appareret, omnia eorum nomina, quibus hodiè gaudent, eſſe Chaldaica, vel Syriaca. Nam

(1.) Potuerunt vetera nomina in oblivionem abire, nova illis ſuccenturiari, vel cum aliis, temporis proceſſu, commutari. Hinc ſcribitur in libro *Gnarugath Habtoſem*, *cap.* 26.

וְנִקְרְאוּ אֶל הַתְּמוּנוֹת הָאֵלֶּה שְׁמוֹת מְחֻלָּפִים
בְּזְמַנִּים שׁוֹנִים כְּפִי רְצוֹן הַמּוֹרִים וּמִנְהַג הַמְּדִינוֹת׃

Hoc eſt. Appellatæ autem fuerunt figuræ iſtæ nominibus variis, temporibus variis, pro arbitrio doctorum, & conſuetudine provinciarum.

(2.) Cùm

(2.) Cùm nomina ſint ſigna rerum, non ex naturâ, ſed ex inſtituto oriunda, certè Ὀνομαστὸν, quicunque tandem fuerint, poterant imponere punctis nomina, ſive Hebraica, ſive Syriaca, quemadmodùm magis illis placuiſſet, ob earum Linguarum viciniam; quod quidem Doct. *Marinus in præfat. Arcæ Noæ* præfixâ, obſervavit.

(3.) Sed (ut huic objectioni ſatisfactum ſit) infinitæ ferè dictiones Syriacæ (annotante *Marco Marino Brixiano in præfat. Arc. Noæ.*) in *Moſe* & in Prophetis inveniuntur, cùm nihilominùs novas eas ſcripturas eſſe affirmare, inſanæ mentis eſſet indicium. Cùm igitur ex vocibus Syriacis ſacro Textui interſperſis, Scripturas veteris Inſtrumenti eſſe novum *Maſoretharum Tiberienſium* ἐυρημα, demonſtraverint Adverſarii; tum credant, per me licet, ſe poſſe ex aliquibus punctorum nominibus Chaldaicis vel Syriacis, cæteris purè Hebraicis exiſtentibus, demonſtrare, ipſa puncta non eſſe literis coæva, ſed quingentis demùm poſt Chriſtum Annis, à *Maſorethis Tiberienſibus* fuiſſe pro arbitrio excogitata. Certè,

Parvas habet ſpes Troja, ſi tales habet.

(9.) Objiciunt nobis Antiquas Verſiones, Græcam, Chaldaicam, & Syriacam, ex quibus perſpicuum eſſe dicunt, voces quaſdam ob punctorum defectum ambiguitate laborâſſe. Hinc aliter interpretati ſunt Verſionum iſtarum Auctores, quàm hodiè in punctatis codicibus legimus;

mus; qui si olim punctati fuissent, ambiguitas nulla fuisset, nec aliter legissent illi, quàm in hodiernis exemplaribus legimus. Dr. *Walt. Proleg.* 3. §. 46. *Capel. Arcan. Punctat. lib.* 1. *cap.* 8. §. 7.

Respond. Quid huic objectioni insit virium despiciemus, postquàm unam, vel alteram in illam, suggessimus animadversionem. Hinc enim sequitur [imò terminis terminantibus.]

(1.) Codices punctis destitutos ambiguitate istiusmodi laborare, cui tollendæ nullus usus, consuetudo nulla sufficit. Nemo enim inficias ibit, quin Interpretes de quibus sermo est, præsertim 70 ex usu quotidiano, & frequentiori legendi consuetudine, literas Hebraicas sibi reddidissent familiares. Hoc tamen non obstante, concedunt Adversarii, ob punctorum defectum, voces quasdam ambiguitate laborâsse: quod & nos suprà ursimus ad punctorum necessitatem, etiam apud illos, quibus Lingua Sancta fuit vernacula, evincendam.

(2.) Nullam certam Legendi normam, ante punctorum inventionem, apud Ecclesiam Judaicam constitutam fuisse. Si enim istiusmodi Norma extitisset, ex illius observatione ambiguitas omnis è sacro Codice sublata fuisset: nec aliter legissent 70 illi Interpretes, quàm nos in hodiernis exemplaribus, secundùm punctationem (quam vocant) *Masorethicam*, legimus. *Masorethas* enim *Tiberienses*, non ad proprium arbitrium, sed secundùm Lectionem usitatam & receptam (quam pro normâ Legendi habuerunt, certissimâ) Bibliis sacris puncta affixisse, aiunt

Adver-

Adverſarii : eâdem etiam Legendi normâ uſos fuiſſe 70 interpretes in Sacris Bibliis è ſermone Hebraico in Græcum transfundendis, non ſine contumeliarum in contrà ſentientes eructatione ſæpiùs aſſerunt. Quid tum poſtea ? Quæcunque conveniunt in aliquo tertio, ea inter ſe convenire, neceſſe eſt. Si igitur 70 interpretes ſecuti fuerint receptam Lectionem pro norma, in Tranſlatione ſuâ adornandâ, nec non *Maſorethæ Tiberienſes* in punctatione ſua affigendâ ; unde tanta inter hanc, & illam diſcrepantia ? tanta contrarietas & contradictio in iiſdem vocibus interpretandis ? Certè hinc inferre licet, vel nullam iſtiuſmodi Lectionem, in qua omnes conveniebant, receptam fuiſſe : vel nullam illius rationem habuiſſe, 70 interpretes in Verſione ſuâ adornandâ ; nedùm *Maſorethas Tiberienſes* in punctis affigendis, ſed omnia pro arbitrio egiſſe.

Hiſce per modum animadverſionis, præmiſſis, ad hujuſce Objectionis Antecedens reſpondeo.

(1.) Concedendo, quàm plurimas inter hodiernam punctationem, & quaſdam Antiquas verſiones, cujuſmodi ſunt Arabica, Chaldaica, & Syriaca, occurrere diſcrepantias.

(2.) Negando, diſcrepantias ullas inter genuinam 70 verſionem, & punctationem hodiernam occurrere.

(1.) Hoc auſus ſum negare *Philonis* authoritate fretus, qui *lib.* 2. de vita *Moſis*, ſic ſcribit, 70 verſionem encomiis cumulaturus. Reddita ſunt propria propriis nominibus, Græcis ad Chaldaica exactè

exactè reſpondentibus; (ubi N. per Chaldaica, Hebraica intelligit) id experimentis quotidianis creditur: ſive Chaldæus Græcam linguam, ſive Græca Chaldæam didicerit, in utrâque Scripturâ, tum Chaldaicâ, tum ejus interpretatione, miratur germanitatem, imò rerum verborumque conſonantiam adorat. Idem quoque ante *Philonem* teſtatus eſt *Ariſteas*, qui ad finem libri ſui, adfirmat, interpretationem 70 à plurimis diſcuſſam, conſideratam, examinatam fuiſſe, priuſquam in regis Bibliothecâ collocaretur, & ab omnibus acclamatum, ſanctè & fideliter ſingula eſſe tranſlata, ut nihil addi, nihil demi poſſet. Si igitur tanta fuerit harmonia, tamque admirabilis rerum ac verborum conſonantia, inter Verſionem 70, & textum Hebræum, corruat neceſſe eſt prima Antecedentis pars, quâ diſcrepantias inter Verſionem 70, & exemplaria hodierna, aſſeritur. Sed

(2.) Hoc auſus ſum negare, eò quod nuſquam loci genuina 70 interpretatio hodiè invenitur. Non Entis nulla ſunt Accidentia; cum igitur interciderit iſta verſio, fruſtrà clamant Adverſarii, aliter legiſſe iſtius verſionis Authores, quàm nos in hodiernis exemplaribus. Genuinam verò 70 Verſionem non ſupereſſe, id uno vel altero evincere licet argumento.

(1.) Quia 70 Seniores à ſummo ſacerdote ad *Ptolomæum* miſſi, hujuſce Verſionis adornandæ gratiâ, nullos planè præter *Moſaicos*, de Hebræo in Græcum ſermonem, transfuderunt libros. Eruditi enim (inquit *Hieronymus*, *lib.* 4. *Comment.* in *Ezekiel. cap.* 16.) ſolos libros quinque *Moſis*, à

70 interpretatos probant. Hoc quoque teſtatus eſt *Joſephus*, in Antiquitatum proœmio, ubi de *Ptolomæo* verba faciens, dicit. Οὐδὲ γὰρ πᾶσιν ἐκεῖνοις ἦν λαβεῖν τὴν ἀναγωγήν, ἀλλ' αὐτὰ μόνα τὰ τῆς νόμε παρέδοσαν οἱ μεταπεμφθέντες ἐπὶ τὴν ἐξήγησιν πρὸς τὴν Ἀλεξάνδρειαν. Neque enim totam Scripturam accipere illi contigit; ſed legem ſolam ei tradiderunt interpretes, qui ad hanc interpretationem ornandam, *Alexandriam* miſſi fuerant. Ex recentioribus Scriptoribus *Claudius Salmaſius* hanc opinionem eſt amplexatus. Verba ejus ita ſe habent. Atqui conſtat inter omnes ferè, nihil ab illis (*LXX* interpretibus) tranſlatum eſſe in Græcum ſermonem, præter Pentateuchum. *Guilielmus Schikhardus* (in *Bechin. Happeruſch pag.* 38.) iiſdem calculum ſuum addit. Sic & Doctiſſimus *Uſſerius de edit.* 70. *cap.* 1. *pag.* 4, 5. Genuina igitur 70 Seniorum Verſio *Moſaicorum* librorum tantùm fuit. Quod planè evincit, illam quæ veterum patrum temporibus eſt recepta, & omnium manibus hodiè teritur, non eſſe eandem cum primævâ 70 interpretum verſione. Primæva enim iſta interpretatio *Moſaicorum* librorum tantùm fuit: hæc verò, quâ hodie gaudet eccleſia, atque olim tempore *Hieronymiano* gaviſa eſt, *Moſis* ſimul & Prophetarum ſcripta complectitur. *Vid. Druſium in obſer. lib.* 6. *cap.* 9. apud *Buxt. pag.* 122. *Johan. D' Eſpieres. tract.* 2. *diſp.* 1. *Dub.* 7. & *Marcum Marinum, præfat. Arc. Noæ.* ubi dicit; non minima eſt eorum conjectura qui arbitrantur 70 ſolum Pentateuchum tranſtuliſſe.

(2.) Non deſunt argumenta, quæ, Genuinam 70 interpretum verſionem penitus interiiſſe, ſuadeant. Certè

Certè quo tempore *Alexandrina Ptolomæi Philadelphi* Bibliotheca, in quâ Genuina 70 interpretum verſio aſſervabatur, ignibus immiſſis concremata fuit, hæc interpretatio flammas voraces eſt experta. Quod ex *Aulo Gellio* facile innoteſcat, qui de librorum in iſta Bibliothecâ repoſitorum fato ſcribens, dicit. *lib.* 6. *cap.* 17. Ingens poſtea numerus librorum in *Ægypto* à *Ptolomeis* regibus, vel conquiſitus, vel confectus eſt, ad millia fermè voluminum ſeptinginta: ſed ea omnia bello priore *Alexandrino*, dum diripitur ea civitas, non ſponte, neque operâ conſultâ ſed à militibus, fortè Auxiliariis incenſa ſunt. In eadem ſententiâ fuit Doctiſſimus *Uſſerius*, cujus hæc ſunt verba; Quùm *Ptolomæi* Bibliothecam tempore *Alexandrini* belli à *Julio Cæſare* geſti, ignis conflagraſſet, Hebraicum Legis exemplar, ſimul cum Græcâ illius verſione à 70 factâ, periit. *De edit.* 70. *cap.* 3. *pag.* 31. *Annal.* ad ann. periodi Juliani. 4666. Utramque verò ſententiam, tam precedentem, quàm hanc calculo ſuo comprobavit πολύγλωττος *Schindlerus* in Lexico ſuo Pentaglotto, ad vocem חלמי. Ergo, inquit, tantùm חומש ſive quinque libri *Moſis* à 70 tranſlati fuerunt ex Linguâ ſanctâ in Græcam. Et ipſorum verſio periit, cùm Bibliothecâ *Ptolomæi* combureretur à *Pompei* exercitu.

Quùm igitur ex his liquet, hanc, quæ 70 interpretum nomine hodiè decoratur, Verſionem, non eſſe Genuinam illam, quæ olim in Bibliothecâ *Ptolomæi* aſſervabatur, & tandem unà cum ipſa Bibliotheca peribat, ſed Vulgatam, eamque tranſcriptorum negligentiâ depravatam variiſque corruptionibus inquinatam, quæ in Genuinæ 70 in-

terpretationis locum & nomen ſucceſſit, non eſt quod quiſquam objiciat, varias inter 70 Verſionem & hodiernam punctationem occurrere diſcrepantias. Oſtendant, qui talia nobis ogganniunt, Verſionem, quæ 70 nomine circumfertur ipſiſſimam illam eſſe, quæ in Bibliothecâ *Ptolomæi* aſſervabatur; ſecùs de iſta Antecedentis parte, quæ 70 verſionem attingit, actum eſt.

(2.) Sed dato Antecedente toto, Conſequens tamen, quod inde elicitum, & illatum maximè vellent Adverſarii, negare idque ſummo jure licet. Hoc tantum ſequitur ex diſcrepantiis, quæ inter antiquas verſiones & hodiernam punctationem, occurrunt; ergo iſtarum verſionum Auctores, punctorum non ſemper fortè habuerunt rationem; vel punctatis codicibus in verſionibus ſuis concinnandis iſti interpretes fortè non ſunt uſi. Ultra hoc, ne γρὺ quidem, licèt manu liberaliſſimâ ageremus, dare licet.

(1.) Quia miſerè principium petunt, dum pro ea, quâ ſunt præſumptione, diſcrepantias vel omnes vel aliquas inter textum Hebræum punctatione inſtructum, & antiquas verſiones quæ occurrunt, ex ſola punctorum ἀνυπαρξία & abſentia, ortas eſſe volunt. Certè fontes harum diſcrepantiarum aſſignare licet alios complurimos: nos pauculos è multis ſubjiciemus, ne cui videatur, punctorum abſentiam fuiſſe in cauſâ.

(1.) Primam diſcrepantiarum cauſam, quidam haud infimi ſubſellii doctores in ipſos rejiciunt interpretes, qui homines fuerunt non dii; tranſlatores, non vates θεόπνευστοι. Hinc *Auguſt. Stenchus Engubinus* Epiſcopus *Xiſamenſis in Recog. Vet.*

Vet. Test. ad Gen. 4. 7. non erubuit pronunciare, 70 interpretes non adeò exquisitè Grammaticam Hebræam calluisse, atque ex hoc fonte quàm plurimos errores ebulliviſſe. Ita *Scaliger* in *epistolis pag.* 91. *Zuinglius* in operibus, *tom.* 3. *pag.* 207. *Melancht. Hieronymus*, *Bootius*, cum multis aliis.

(2.) Pruritus allegorizandi, & varios sensus ex Scripturâ eliciendi, sensuique literali superinducendi mysticos, inter discrepantiarum causas, est meritò annumerandus.

Hinc *Aben Esra* in præfatione *Rythmicâ* Bibliis præfixâ de eo, qui transtulit Legem in Linguam Chaldæam, verba faciens ita scribit.

אִם דָּלָק בִּמְקוֹמוֹת אֲחֵרִי מְדָרְשִׁים יְדַעְנוּ כִּי יוֹתֵר
מִמֶּנּוּ יָדַע הַמְּשָׁרְשִׁים וְקַ חֻפֵּץ לְהוֹסִיף טְעָמִים
אֲחֵרִים כִּי פְּשׁוּטוֹ יְבִינוּהוּ אֲפִילוּ הַבּוֹעֲרִים ;

H. E. quòd si in locis quibusdam sectatus est *Medbraſhim*, & explicationes Allegoricas, scire debemus, illum melius nobis sciviſſe radices: sed voluit addere sensus alios, eò quod sensum literalem intelligant etiam bardi. Idem de *Jonathane* ad *Hos.* 7. 4. notavit *R. Salomon.*

יוֹנָתָן תִּרְגֵּם טְ שְׁתַרְגֵּם וְאֵינִי יָכוֹל לְיַשֵּׁב בּוֹ
לְשׁוֹן הַמִּקְרָא

Id est. Jonathan transfert id quod transfert; neque possum ad ejus versionem accommodare Linguam Scripturæ. Quorum verborum hic est animus. *Jonathanem* nonnunquam pro lubitu suo transfert, & sensu literali relicto, Allegoriis ac sensibus Mysticis eliciendis studet; quod etiam de Rabbinis in genere idem *R. Salomon* ad *Zach.* 1. 8. affirmat. Hac Paraphrastarum Chal-

daicorum libertate interpretes Græci utentes, à ſenſu Spiritûs Sancti per punctationem hodiernam determinato, in multis longiùs receſſerunt.

(3.) Complurimas à contextu Bibliorum punctato diſcrepantias in Antiquas Verſiones invexit Typothetarum & Amanuenſium ἀβλεψία, oſcitantia, ἀνδάϛια, & ſupina negligentia. Hinc (inquit *Wowver.* in *Syntag. cap.* 12. *pag.* 95.) tot lectionum varietates penitus inter ſe diſcrepantes, quas in vetuſtiſſimis Scholiis notatas videmus, & ipſorum exemplarium etiam vetuſtiſſimorum diſſenſus, ut vel ſumma ingenia ſine metu naufragii hæc vada & ſyrtes tranſire non poſſint. In eâdem ſententiâ D. fuit *Auguſtinus*, qui de varietate iſtiuſmodi verba faciens, (*lib.* 15. *cap.* 13. *de Civit. Dei*) dicit, Scriptoris tribuatur errori. Sic & *Hieron. Proleg.* ad *Paraleip. Hottingerus*, *Buxtorfius*; & ad unum ferè omnes, qui harum diſcrepantiarum Origines inveſtigârunt. Cùm igitur tot, eæque tam evidentes cauſæ harum differentiarum, quæ inter Antiquas verſiones, & punctatos Codices occurrunt, dentur; non eſt quòd ex illis concluderent Adverſarii, puncta Hebraica olim, quo tempore Antiquæ verſiones concinnatæ ſunt, non extitiſſe; quaſi nulla alia cauſa iſtiuſmodi diſcrepantiarum præter punctorum non-exiſtentiam aſſignari poſſet. Hoc perinde eſt, ac ſi quis negaret Animæ rationalis exiſtentiam, eò quod tanta morum varietas in hominibus cernitur, tot opinionum divortia, & affectionum divulſiones; cum hæc omnia non ex animæ rationalis non-exiſtentia, ſed ex inſitâ naturæ humanæ malitiâ, vel ex gratiâ cælitus illi immiſſâ; ex corporis temperamento

peramento, vel ex vitæ genere; ex contagio eorum, quibuſcum verſamur, vel ex fine, quem quiſque ſibi proponit per fas aut nefas aſſequendum; & iſtiuſmodi quàm plurimis. Licèt igitur concedimus complurimas inter codices punctatos & Antiquas verſiones, occurrere diſcrepantias; negamus tamen, & jure negamus, inde ſequi puncta olim non extitiſſe; quia dantur quàm plurima alia, quibus iſtiuſmodi differentias adſcribere non tantùm fas eſt, ſed & oportet.

(2.) Quia iſtiuſmodi diſcrepantiæ inter Codices punctatos & Antiquas verſiones occurrunt, quæ punctorum ἀνυπαξία & abſentiæ adſcribi nequeunt. Si nullæ aliæ diſcrepantiæ inter antiquas verſiones & punctatos Codices occurriſſent, præter illas ſolas, quæ ſenſum Scripturæ ex hodiernæ punctationis beneficio determinatum, ſolicitare videntur, næ aliqualem probabilitatis ſpeciem iſta ſortiretur objectio, quam diluendam ſuſcepimus. Quod ſi verò Antiquas verſiones, præſertim Græcam τῶν 70, quis percurrat, ipſe facili negotio deprehendet, non ſolum circa punctationem diſcrepantias occurrere, ſed circa conſonantes, voces, periodos, & capita integra, haſque diſcrepantias frequentiùs occurrere, quàm quæ puncta tantùm attingunt: adeóque neceſſe eſt, ut aliis cauſis, quàm punctorum non-exiſtentiæ adſcribantur iſtæ differentiæ; niſi volumus, ut omnes, quæ circa conſonantes, voces & integra commata occurrunt diſcrepantiæ, iſtarum conſonantium, vocum, & integrorum commatum non exiſtentiæ quoq; adſcribantur. Hoc verò ſemel conceſſo, pontificii ut æternùm vincant, oportet, nam corruptiſſimus ſit oportet &

vitiosissimus, minimèque Controversiarum decidendarum regula, iste Textus, qui tantum recedit à genuino *Mosis* & Prophetarum *Autographo*, quantum Codices omnes hodierni ab Antiquis versionibus, præsertim τῶν 70, recedunt. Sed discrepantiæ omnes quæ inter Antiquas versiones & Codices punctatos occurrunt, in istarum versionum Corruptionem & vitiositatem longè pessimam, non verò in Codices punctatos, sunt meritò rejiciendæ.

(1.) Huic assertioni adstipulantur Theologi plerique omnes, qui Sacri Textûs ἀυθεντίαν & ἀδιαφθορίαν in se susceperunt patrocinandam, hoc iterum atque iterum inculcantes, omnes versiones, interpretationes Scripturæ omnes, ad Originalis Textûs *Lydium* quasi lapidem esse exigendas, corrigendasque. Hîc *Hieronymum* in *lib.* contra *Helvidium*, *Augustinum lib.* 15. *cap.* 13. *de Civit. Dei. Gratianum distinct.* 9. *cap. Ambrosium lib.* 2. de spiritu sancto *cap.* 6. *Chamierum Panstrat. lib.* 12. *cap.* 2, 3. *Amandum Polanum Syntag. Theolog. lib.* 1. *cap.* 36. *Salomonem Glassium Philolog. Sacr. Orat.* de linguæ Hebrææ necessitate. *pag.* 483. *Scharpium Curs. Theolog. Controver.* 2. *pag.* 26. *Prideauxium Fasc. Controvers. Quæst.* 4. *Obj.* 3. *pag.* 3. & alios quàm plurimos, adducere licet, qui omnes uno ore clamant, puriorem esse fontis undam, quàm rivi; omnesque versiones cujuscunque sint temporis, aut nominis, aut dignitatis, ad textus Originalis examen esse revocandas.

(2.) Non desunt magni nominis Theologi, qui de Antiquarum versionum Corruptionibus gravissimè

vissimè sunt conquesti, præsertim τῶν Septuaginta. Non novum est, Translatores Bibliorum in suis versionibus sæpiùs errasse; inquit *Salomon Glassius Philolog. Sacr. pag.* 484. Necessitas subinde requirit ob variarum interpretationum conflictum & differentiam, ad ipsos fontes recurrere, quò veritas habeatur. *Rivet. Isagog. cap.* 8. *pag.* 101 Nec unius, nec plurium, quamlibet doctissimorum virorum versio, ecclesiæ pro authenticâ est obtrudenda. Habent etiam omnes ut suas virtutes, ita & vitia. *Scultet. Observat. in Mat. & Marc. cap.* 40. Ex harum enim (intelligit literas simili figurâ gaudentes) confusione, tum à Librariis oscitantibus, tum interpretibus Chaldæis, Græcis, & Latinis, ipsisque etiam commentatoribus Rabbinis, multa olim fuisse exorta ἀτοπα, jam magno suo malo experitur Orbis Christianus. *Hottinger. Exercitat. Antimor. pag.* 44. Easdem effuderunt querelas. *Hieronymus*, *Augustinus*, *Chameirus*, *Sixtinus Amama*, *Marcus Marinus*, *Fullerus*, *Heinsius*, *Buxtorfius*, *Arias Montanus*, *Pagninus*, cum multis aliis Linguæ Sanctæ peritissimis, quorum verba plura sunt, quàm ut hîc adducantur. Certè præclarè judicabant omnes veteres, (verba sunt Junii in *Elogio Ling. Sanct.*) singulas translationes rivos esse, ductos ex puriſſimis fontibus operâ humanâ, ac proinde sordibus ex infirmitate hominis inquinatos.

Hæc de Translationibus in Genere. Versiones Chaldaicas quod attinet, illas suis scatere mendis fatentur omnes. Quod verò Authores earum, posteriores præsertim, magnâ usi fuerint libertate, nec semper κατὰ πόδας contextum sacrum transtulerint,

rint, teſtatur *Cham. Panſtrat. lib.* 12. *cap.* 1. *pag.* 422. Modò enim à litera contextùs ſacri & ἀκριβείᾳ Grammatica receſſerunt ; quod faſſus eſt *Elias Levita* in præfatione *Methurgeman* :

וְהִנֵּה הַפַּתְרְגְּמִים לֹא שָׁמְרוּ לִפְעָמִים דֶּרֶךְ הַדִּקְדּוּק׃

Hoc eſt. Et ecce Paraphraſtæ Chaldaici quandoque non obſervârunt rationem Grammaticæ. Modò fabulis Talmudicis nimirùm indulſerunt ; unde Rabbinorum Næniis, & lepidis fabellis eorum Paraphraſes ſæpiùs ſcatent. *Hotting. Theſaur. Philolog. lib.* 1. *cap.* 3. *pag.* mihi 253. Modò denique integrorum commatum, ac ſententiarum, textui ſacro aſſuerunt additamenta, quorum neque vola, neque veſtigium in ſacris Scripturis occurrit, quod neminem Hebraicè doctum latet. *Owen.* Θεολογ. *lib.* 5. *digreſ.* 3. ubi de Legis expoſitione, quæ *Jonathani* adſcribitur, verba faciens, haud veretur affirmare, plura figmentorum monſtra in ipſo *Alcorano Mahumetico* non inveniri, quàm in paraphraſin iſtam coacervavit iſte mendaciorum impurus Artifex.

Sed miſſis Chaldaicis Bibliorum paraphraſibus, quid de Græca 70 interpretatione, quam nuſquam non oſtentant, in hac cauſâ, Adverſarii, Docti viri ſunt rati, paucis referre lubet. Divus *Hieronymus* harum rerum longè peritiſſimus, 70 interpretum corruptionem non diſſimulat, cùm in 1 libro Commentar. ad *Michæa cap.* 2. ita ſcribit. Interpretatio Septuaginta, ſi tamen 70 eſt, (*Joſephus* enim ſcribit, & Hebræi tradunt, quinque tantùm libros Legis *Moſis* ab eis tranſlatos, & *Ptolomæo* regi contraditos) tantum diſcordat in præſenti

præſenti loco ab Hebracia veritate, ut nec capita poſſimus ex æquo ponere, nec eorum ſimul ſententias explicare. Santes *Pagninus* de 70 agens ita ſuam aperit ſententiam. *Iſagog. cap.* 9. Nos ſummo ſtudio, curâ, & diligentiâ 70 interpretationem cum Hebræo contulimus; & tot invenimus addita, deſumpta, depravata, immutata, & ab Hebræo prorſus aliena, ut mihi perſuadere nequeam, illam eſſe 70 interpretum. *Bellarminus lib.* 2. de Verbo Dei *cap.* 6. ita ſuam; Licet non ignorem nonnullos in ea ſententiâ eſſe, ut exiſtiment, 70 interpretationem penitus interiiſſe: multo probabilius cenſeo, illam adhùc ſupereſſe; ſed adeò corruptam & vitiatam, ut omnino alia eſſe videatur. Rever. *Uſſerius*, negat quidem Genuinam 70 verſionem adhùc ſupereſſe, ſed Alteram communiſſimam, vulgatam vulgò dictam, (quæ huic ſuccreſcens, in locum & nomen illius ſucceſſit) ad noſtra uſque tempora conſervatam eſſe fatetur, ſed variè mixtam, & corruptam. *De edit.* 70. *cap.* 1. *pag.* 9. Imò planè dicit in hac, mille detractiones, additiones, mutationes occurrere, à textu Hebræo prorſus alienas. *De edit.* 70. *cap.* 2. Quod quidem *Origeni*, de *Obelis* & *Aſteriſcis*, quos ad librum *Geneſeos* appoſuerat, ad *Julium Africanum* ſcribenti vehementiùs ſuboluit, uti ejus, quæ de libro *Exodi* ſubjicit, verba teſtantur. Τὶ ϑ μὲ δεῖ λέγϛν περὶ τῆς Ἐξόδϛ; ἔνϑα τὰ περὶ τὴν σκηνὴν, κ τὴν αὐλὴν, κ τὸν κιϐωτὸν, κ τὰ ἐνδύματα τῦ ἀρχιερέως, κ τῶν ἱερέων ἐπὶ πολὺ παρήλλαχϑ, ὡς μηδὲ τὴν διάνοιαν παραπλησίαν ἔχ) δοκεῖν. *Hoc eſt.* Quid de *Exodo* oportet me dicere? quæ pertinent ad tabernaculum, & atrium, & arcam, & quæ ad indumenta

dumenta Pontificis, & Sacerdotum, plurimùm ſunt mutata; adeò ut ne videatur quidem ſenſus eſſe ſimilis. Tranſlatio ea (inquit Doct. *Druſius Obſervat. lib. 6. cap. 9.*) quæ vulgò apud Græcos habetur, quin 70 interpretum non ſit, nemini hodie dubium eſſe arbitror; nam ſi nihil aliud, innumeri in eâ loci ſunt, qui arguunt magnam imperitiam ſermonis Hebraici; ſed & negligentiam ſingularem in legendo, & oſcitantiam tantis viris indignam, qui in ea editione non videt, nihil videt. Augiæ ſtabulum vix majori labore purgaſſet, quàm qui omnes in 70 verſione occurrentes collegiſſet errores. *Cham. Pauſt. lib. 13. pag. 482.* In hac ſententiâ eſt *Munſterus* præfatione ad Biblia; Cardinalis *Ximenius* præfatione ad Biblia Complutenſia; *Marcus Marinus* præfatione ad arcam *Noæ*; & omnes, quos de hoc ſubjecto adhuc contigit mihi videre: præter unum *Voſſium*, cujus negantis Solem meridie ortum eſſe, faſtuoſa vanitas & prodigioſa confidentia major eſt, quàm quæ vel ſole Meridiano agnoſcat ſe vinci. Plura huc afferre, quàm Doct. *Hottingeri* verba minùs lubet. Iſta verò ita ſe habent; Pruritu Contextui Hebraico inſultandi nonnulli ita laborant, ut perſuaſum iis ſit, ubicunque à Verſione Græcâ differat, corruptum eum eſſe, aut mutatum. Verè iſtiuſmodi homines Conjurationis non *Catilinariæ* contra rempublicam, ſed atrocioris contra Scripturam *V. T.* authenticam reos, verbo *Platonis* vocare liceat, κεφαλοβόλους. Nôrunt enim, niſi prorſus in hiſce literis ſint hoſpites, aut nôſſe deberent, hæc ſtudia tractaturi, quàm inde à multis ſeculis durum fatum Verſionem 70 preſſerit.

rit. Audiunt, legunt, vident querelas veterum, recentiorum, Pontificiorum, Reformatorum, & quorum non? Biblia Græca 70 interpretibus *Hierosolymitanis* vulgò tributa, partim injuriâ temporum, incuriâ Amanuensium, oscitantiâ typothetarum; partim etiam Hæreticorum malitiâ, ita esse defædata, ut primi nitoris faciem penitùs amiserint. *Hottinger. Thesaur. Philolog. lib. 1. cap. 2. pag.* mihi 172.

(2.) Sed testimoniis valere jussis, suppetit instantiarum farrago plus satis ampla, ex quibus liquidò constat, Antiquas Versiones à textu Hebraico, non tantùm quoad puncta, sed etiam quoad Consonas, voces, & integra commata, discessisse. Annus quidem mihi haudsufficeret, si omnes, qui in Antiquis, Chaldaicâ scilicet, Arabicâ, Syriacâ & Græcâ, occurrunt Versionibus, istiusmodi annotarem errores: pauculos tamen ex infinitâ pœne multitudine Lectoris gratiâ, hic adducendos esse putavi.

Amplior est veteris testamenti amœnissimus Ager, quàm quem nostri instituti ratio nos patitur peragrare: quos igitur Versiones Orientales primi capitis *Geneseos* versiculos à textu Originali maximè diversos atque alienos reddiderunt nos tantùm hic annotemus, liberiori campo usuri, cùm ad errores perstringendos, quibus 70 interpretatio passim locorum scatet, deventum fuerit.

In principio. Heb.

In sapientiâ. Targum Hieros.

In principiis. Targum Onkel.

Primum quod creavit Deus fuit cœlum & terra. Arab.

Et

Et terra erat informis & vacua. Heb.

Et terra erat desolatio à filiis hominis, & omni bestiâ vacua. Targum Hieros.

Eratque terra immersa abyssis obruta mari. Arab.

Et fecit Deus expansionem, & divisit inter aquas, quæ subter expansionem, & inter aquas quæ super expansionem. Heb.

Et fecit Dominus expansionem sustentans ipsam tribus digitis inter extremitates Cœlorum, & aquas Oceani; & separavit inter aquas quæ sunt infra expansum, & inter aquas superiores, quæ sunt in tentoriis expansi. Targum Jonath.

Et congregationem aquarum appellavit maria. Heb.

Et domum congregationis aquarum appellavit maria. Targum Onkel.

Luminare majus ad dominium diei. Heb.

Plenitudinem luminaris magni, ut dominetur diei. Samar.

Et creavit Deus hominem ad imaginem suam; ad imaginem Dei creavit illum; masculum & fœminam creavit eos. Heb.

Et creavit Dominus hominem ad imaginem suam; ad imaginem Domini creavit illum, cum ducentis quadraginta & octo membris, cum sexcentis sexaginta & quinque nervis; & condensavit super illum cutem, & carne, & terrâ illum implevit; masculum & fœminam in corpore eorum creavit eos. Targum Jonath.

Et creavit Deus hominem in imagine suâ: in imagine quam nobilitavit Deus, dominantem creavit illum. Arab.

Pluribus hujusmodi à textu Originali apud interpretes Orientales factis variationibus annotandis supersedeo, ne quibus delicatioris texturæ ven-

ventriculus ſit, nauſeam crearem. Quæ à lumine, cuivis verſiones Originales collaturo ſe afferunt, ſatis liquidò evincunt, ne quidem conſonarum & vocum rationem ſemper habuiſſe tranſlatores; ſed quàm plurima pro arbitrio, pro ingenio ſuo paraphraſtico, Rabbinico & phantaſtico, quo pollebant, tranſtuliſſe.

Sed verſionibus hiſce miſſis, corruptiones in 70 interpretatione occurrentes graviores ſe offerunt; quarum aliquot annoturus, non poſſum non horrore percelli, & indignatione quadam piâ lancinari: tot enim & tantæ ſunt, ut *Augiæ* ſtabulum vix majori labore quis purgaſſet, quàm omnes collegiſſet.

Me quidem tanto oneri imparem, lubens (uti par eſt) confiteor: adducam tamen nonnullas, ne mihi adverſarii objiciant, fieri de feſtucâ trabem, de muſcâ *Elephantem*.

Παραμυνίαι, quibus ſcatet 70 interpretatio, quàmplurimæ vel ex μεταθέσεις, vel προσθέσεις, vel μεταθέσεις, vel Ἀφαιρέσεις, ſunt oriundæ, ut Doct. obſervavit *Hottingerus*: nos hanc illius retinebimus ſeriem, ſelectum tamen in erroribus annotandis pro arbitrio habituri.

(1.) Μεταθέσεως, quâ conſonam unam pro altera arripuerunt, vel imperitè vel de induſtriâ, 70 interpretes, exempla paſſim occurrunt.

Pro א *legerunt* ג. *Pſal.* 56 8. Heb. בְּנֹאדֶךָ in utre tuo: 70 ἐνώπιόν σου. *leg.* נֶגְדֶּךָ.

Pro ב modò ר. *Ezek.* Heb. כְּמִבְנֵה־עִיר מִנֶּגֶב, tanquam forma civitatis ab *Auſtro*: 70 ὡς οἰκοδομὴ πόλεως ἀπέναντι. *leg.* נֶגֶד. modò ו. *Iſa.* 60. 15. Heb.

Heb. וְאֵין עוֹבֵר & nemo, qui pertranſit. 70. καὶ οὐκ ἦν βοηθῶν. & non fuit, qui opituletur. *leg.* עוֵר.

Pro ר modò ר. *Ezek.* 34. 16. Heb. אַשְׁמִיד. perdam. 70. φυλάξω. cuſtodiam. Modò ש, ut *Pſal.* 72. 14. Heb. דָּמָם, ſanguis eorum. 70 τὸ ὄνομα αὐτῶν, nomen ipſius, quaſi *leg.* שְׁמוֹ.

Pro ה modò ב. *Gen.* 6. 16. Heb. צֹהַר תַּעֲשֶׂה. feneſtram facies. 70 ὑποστέγων ποιήσεις. colligens facies. Modò ר. 1 *Sam.* 8. 16. Heb. לְמַלְאכְתּוֹ וְעָשָׂה & faciet opus ſuum. 70 καὶ ἀποδεκατώσει εἰς τὰ ἔργα αὐτῶν. & decimabit ad opera ſua.

Pro ט modò ר, *Ruth.* 2. 14. Heb. לָהּ קָלִי וַיִּצְבָּט & porrexit ipſi toſtum. 70. καὶ ἐβύνεσεν αὐτῇ βοὸζ ἄλφιτον. & aggregavit *Booz* illi farinam. *leg.* יָצְבָּר modò ת. *Pſal.* 60. 4. Heb. מִפְּנֵי קֶשֶׁט propter veritatem. 70 ἀπὸ προσώπου τόξου. à facie arcûs. *leg.* קָשֶׁת.

Pro ם modò נ. *Ezech.* 3. *v.* 8. Heb. מִצְחָם לְעֻמַּת. contra frontem eorum. 70. κατίσχυσε τῆς γίνυος αὐτῶν. adverſus victoriam eorum. *leg.* נִצְחָם. modò נ & י. 1 *Sam.* 17. 32. Heb. אָדָם. hominis. 70 κυρίου μου. *leg.* אֲדֹנִי.

Pro מ נ. 1 *Sam.* 23. 7. Heb. בְּיָדִי נִכַּר אֹתוֹ אֱלֹהִים Ignotum reddidit eum Deus in manum meam. 70 ὅτι πέπρακεν αὐτὸν ὁ κύριος εἰς τὰς χεῖράς μου. *leg.* מָכַר. vendidit.

Pro ס legerunt ו *Pſal.* 55. 14. Heb. סוֹד conſilium. 70 וָזִד; unde ἐδέσματα, edulia reddiderunt.

Pro

Pro ע modò ו. *Pſal.* 30. 5. Heb. רֶגַע momentum 70 ὀργὴ, ira, *leg.* רָנוֹ. modò כ *Pſal.* 104. 13. מִבֵּין עֳפָאִים e medio ramorum. 70 ἐκ μέσου τῶν πετρῶν, è medio petrarum, *leg.* כֻּפָּאִים.

Pro ב *leg.* ר. *Gen.* 3. 14. Heb. יְשׁוּפְךָ conteret. 70 τηρήσει obſervabit, *leg.* יְשׁוּרְךָ.

Pro ר modò ד. *Iſa.* 8. 20. Heb. אֵין לוֹ שָׁחַר nulla eſt illi lux. 70 οὐκ ἔστι δῶρα δόναι πρὸς αὐτὸν, non ſunt dona, *leg.* שֹׁחַד. modò ו. *Pſal.* 139. *ver.* 16. Heb. רִקְמָתִי contextus ſive acupictus ſum. 70 τὰ ὑποστάσεις μου & ſubſtantia mea, *leg.* וְקִנְיָנִי. modò ם *Zach.* 13. 1. Heb. מָקוֹר נִפְתָּח ſcaturigo aperta. 70 πᾶς τόπος πανοιγόμενος. omnis locus apertus, *leg.* מָקוֹם. modò ע *Job.* 15. 5. Heb. לְשׁוֹן עָרוּמִים linguam callidorum. 70 ῥήματα δικαίων, verba juſtorum, *leg.* עֲצוּמִים.

Pro ש *legerunt* א. *Iſa.* 3. 6. וְהַמַּכְשֵׁלָה הַזֹּאת תַּחַת יָדֶךָ. & ruina hæc ſub manibus tuis. 70 ἡ πρόσκομμα ἐμὸν ἔσται σοι ἐν ἐσθίειν. & ſit cibus meus penes te, *leg.* מַאֲכָלָה.

Pro ח modò ח. *Iſa.* 37. 25. Heb. וְשָׁתִיתִי מָיִם & bibi aquas. 70 καὶ ἐρήμωσα ὕδατα. quaſi שָׁחִיתִי modò ר. 2 *Sam.* 23. 4. לֹא עָבוֹת מִנְּגֹהַּ. 70 πρωΐας ἐκ φέγγους.

(2.) Περιθέσει. literæ א. *Hoſ.* 4. 18. Heb. נִגְּנִיהָ הָבוּ קָלוֹן ἠγάπησαν ἀτιμίαν ἐκ φεύγματος, *leg.* אָהֲבוּ. Vid. *Pro.* 30. 15. παραγωγῇ literæ ב. *Job* 25. 3. אוֹר 70 אוֹרֵב, legerunt, unde ἐνεδρεύει vertunt, ἔπαυσεν vel literæ ר. *Iſa.* 27. pro gladio duro חַרְבּוֹ קָשֶׁה 70 vertunt ſanctum קדשה *leg.* vel literæ ח. *Ezech.* 13. 14. Heb. בְּתוֹכָהּ וְכִלִּיתֶם. & conſumemini in medio ejus. 70 καὶ συμπλεκήσεσθε) μετ' ἐλέγχων. & conficiemini in redargutionibus. *leg.* תּוֹכָחָה. vel

literæ ם, *Prov.* 28. 28. Heb. בְּקוּם רְשָׁעִים. quando surgunt impii. 70 ἐν πτώσει ἀσεβῶν. in lapsu impiorum. *leg.* בְּמַקּוֹם.

Metathesis, ut 2 *Sam.* 23. 1. Heb. נְאֻם דָּוִיד dixit *David*. 70 πιστὸς Δαβίδ. fidelis *David*, *leg.* אֱמֶן. *Psal.* 20. 6. Heb. וּבְשֵׁם אֱלֹהֵינוּ נִדְגֹּל. & in nomine Dei nostri vexillum erigemus. 70 καὶ ἐν ὀνόματι κυρίου θεοῦ ἡμῶν μεγαλυνθησόμεθα, & in nomine domini Dei nostri magnificabimur, *leg.* נגדל. *Psal.* 88. 6. Heb. בְּקִבְרוֹת. in profundis, 70 ἐν σκιᾷ θανάτου, in umbra mortis, *leg.* בְּצַל־מָוֶת. *Zach.* 12. 10. Heb. דָּקָרוּ. transfixerunt, 70 κατωρχήσαντο. saltaverunt, *leg.* רָקְדוּ.

Ἀφομοίωσις. *Isa.* 14. 32. Heb מַלְאֲכֵי nuntii. 70 βασιλεῖς, *leg.* מַלְכֵי. συγκοπὴ τοῦ א. *Hos.* 12. 11. Heb. שׁוֹרִים boves. 70 ἄρχοντες, principes. *leg.* שָׂרִים. συγκοπὴ τοῦ ו. Sed quid hisce immoror minutiis? Paulò majora subjungamus, licet: nam non tantùm literæ & voces, sed etiam integra commata, Textui Hebraico, vel adjiciuntur, vel ab eo resecantur. 1 *Sam.* 17. 11. omittuntur à 70 interpretibus 20 versiculi. *Job* 2. 9. longissima insulcitur periodus. *Jer.* 19. Textus à sexto ad undecimum versum partim invertitur, partim castratur. *Jer.* 17. quatuor priores versiculi desunt. *Jer.* 33. desunt versiculi 13. à 13° scilicèt istius capitis, usque ad finem. *Job cap.* 42. attexitur narratio Genealogica satis longa. *Psalmorum* libro integer superadditur *Psalmus*. Videatur *Exod. caput* 36. cum tribus sequentibus; in quibus (inquit *Usserius*) tanta est rerum omnium in *Aldinâ* atque Romanâ editione transpositio, & perturbatio, ut Græcorum cum Hebraicis

ulla

ulla commoda vix poſſit inſtitui collatio. *Iſa.* 4. 2. Receditur à textu Hebræo ad ſenſûs genuini corruptionem. *Pro.* 8. 22. Sapientia non poſſederi, ſed à Domino creari dicitur, unde hæreſis *Ariana* olim exorta eſt. *Pro.* 24. verſiculi ſex, verſum quartum ſequentes, miris modis à fonte diſcedunt, ita ut ſenſûs, quem hic tenet, ne veſtigium quidem aut umbram Græca Verſio exhibeat. Horum aliquot locorum *Iſaac. Voſſium* vindicias inſtituiſſe fateor: ſed dilutas planè & ineffcaces, & me judice tales, qualium tantum virum pigeat, pudeatque. Hiſce ſuperaddere loca penè infinita, quæ omnia 70 interpretes à fonte Hebraico longè alieniſſima dederunt, licet; unus verò ſufficiet; is quidem occurrit *Pſal* 105. 28. Heb. וְלֹא מָרוּ אֶת־דְּבָרָיו & non rebellârunt verbis ejus, 70 verò interpretes particulâ Negativâ omiſſâ, ſenſum planè contrarium elicuerunt. Καὶ παρεπικράναν τὸς λόγυς αὐτῦ· & rebellârunt verbis ejus. Quænam hiſce magis contraria; quæ tandem magis ſibi invicem oppoſita, atque ἀντίφασις? Rebellârunt, inquiunt 70: non rebellârunt, inquit Textus Originalis. Certè non magis diſtant aqua & ignis, ortus & occaſus, quàm hæ duæ ab invicem propoſitiones. Quandoquidem verò crepat non-nemo, *Nicholaum Fullerum* hanc diremiſſe litem, quid huic rei contulit remedii Clar. iſte vir, ſub examen revocare minùs pigebit. Is igitur *Miſcel lib.* 3. *cap.* 10. hanc inſtituit quæſtionem; commodéne defendi queant Septuaginta, qui veluti expuncta ſacri contextûs voce primariâ לֹא, ſententiam negativam in affirmativam mutârint? Illos poſſe defendi, aſſerit quidem vir ille doctus, (ſed ex Κακοζηλία, quam in

hoſce fovebat interpretes, quod cuivis caput ſupradictum conſulenti innoteſcat) huic ſoli innixus hypotheſi longè falſiſſimæ, hanc clauſulam non negativè, ſed interrogativè eſſe legendam. Huic ut fidem faciat hypotheſi, ex *Kimchio* affirmat, frequentem accidere in textu Hebraico ה Interrogativi ellipſin. Ego verò hæc duo, quæ regeram, habeo.

(1.) Licèt evinci poſſet argumentis haudquaquàm infirmis, iſtiuſmodi aliquando ה Erotematici dari ellipſin, non tamen indè ſequeretur, ita ſe rem habere hoc in loco. Nullæ enim fingendæ ſunt in ſacris literis figuræ, quas manifeſta non cogit neceſſitas: cujus ne γρὺ quidem hîc loci comparet, ut Spiritûs Sancti cum hiſtoriâ genuinus concilietur ſenſus. Neceſſitas quam ſibi fingit, vir Clar. eſt planè fictitia: neque, quas affert, rationes contrarium evincunt.

(2.) Nullam penè, ſi non, prorſùs, in ſacris paginis occurrere interrogationem, quin per ה indigitetur Erotematicum, aut per aliquam aliam particulam huic *He* interrogativo ἰσοδυναμοῦν; cujuſmodi ſunt מִי interrogativa perſonæ, quis, quæ? אֵיךְ אֵיכָה הֵיךְ interrogativæ qualitatis, quomodo? לָמָּה מַדּוּעַ הַאִם מָה מַה, interrogativæ rei, quid? quare? cur? an? אַיֵּה אַי אָנָה לְאַן מַאַיִן interrogativæ loci, ubi? quo? unde? עַד אָנָה מָתַי, interrogativæ temporis, quando? quouſque? כַּמָּה interrogativa quantitatis, quantum? & quot? quantitatis tum continuæ, tum diſcretæ. Locorum ſacræ Scripturæ, quos in rem ſuam ſummæ eruditionis vir operoſè coacervavit, ne unus quidem, quod intendit, efficiat! Adduxit 2 *Reg* 5.26. *Pſal.*

Pſal. 121. 1. *Job* 41. 1. *Levit.* 18. 28. 2 *Sam.* 19 43. *Exod.* 8. 26 ; quorum quidèm locorum, quædam ſunt ἀπροσδιόνυσα, ut *Pſal* 141. 1. quædam particulâ gaudent interrogativâ, ut 2 *Sam.* 19. 43 quædam affirmativè & Ironicè ſunt legenda, ut *Job* 41. 1. cætera verò Negativè, & ſeriò, ut *Levit.* 18. 28. vel Negativè & Ironicè, ut 2 *Reg.* 5. 26. *Exod.* 8. 26. Hoc adeò perſpicuum eſt, ut cuivis Hebraicè docto, qui cum textu Originali Tranſlationes omnes conferre novit, ex nudâ fontis inſpectione, innoteſcat, oportet. Manet igitur ſartaque tectaque hæc aſſertio, Septuaginta hoc in loco, ſicut in aliis quàm plurimis à Textu Hebraico receſſiſſe, ac genuinum Spiritûs Sancti ſenſum corrupiſſe. Quod cùm ita ſe habeat, non poſſum non mirari virûm doctorum facilitatem, qui ob voces pauculas à 70 aliter, quàm hodierna patitur punctatio, interpretatas, ferè credunt, exemplaria, quibus 70 interpretes ſunt uſi, punctis caruiſſe! Quidni credant & alii, ob voces penè infinitas aliter, quàm conſonæ (quibus hodierna gaudent exemplaria) patiuntur, interpretatas, 70 iſtos iſtiuſmodi exemplaribus uſos fuiſſe, quibus non tantùm puncta, ſed & literæ, & voces, & integra commata defuerunt? Hoc *Ithacus* vellet! Sed ego potiùs, quàm utrum horum, omnia crederem Talmudica! Quid enim? Septuaginta alias conſonas, alias voces, aliaque pro aliis ſubſtituiſſe commata, vel in iſtis, ubi nulla literarum ſimilitudo, ſententiarum obſcuritas nulla à recto veritatis tramite eos deturbavit, ex ſuperiori Schemate liquidò conſtat. Quænam igitur religio, quæ tandem illos ἑυλάξῃ abſterreret, ne idem, pro arbitrio, in ipſâ tenta-

rent punctatione? Certè si ex ista, quæ inter antiquas versiones & hodiernam punctationem intercedit, differentiam, pronunciare licet, puncta nondùm istis affixa fuisse exemplaribus, quibus istarum versionum Authores sunt usi; idem etiam de literis, vocibus, & sententiis quamplurimis pronunciare licebit. Major enim differentia & frequentior, literarum vocum & sententiarum respectu, quàm punctorum, inter Antiquas versiones, & hodierna Bibliorum exemplaria intercedit. Sed qui pro arbitrio diruunt, ædificant, mutant quadrata rotundis: nullius planè authoritatis sunt in tantâ lite dirimendâ, sed indigni prorsùs, ex quorum versionibus de punctorum existentiâ fiat judicium. Hæc verò huic objectioni diluendæ abundè sufficiant; cui quidem amoliendæ diutiùs sum immoratus, quia ex earum numero est, quas μυθὰ πολλῆς φαντασίας, proferre solent punctorum hostes. Et ad pompam quidem facit, ad pugnam verò nequaquam!

(10.) Decimam ex *Hieronymo*, & *Origene*, aliisque Græcis & Latinis Ecclesiæ patribus petunt objectionem, punctorum hostes: apud quos illis judicibus, nullum de vocalibus punctis vestigium apparet, sed altum apud omnes silentium. Dr. *Walton. Proleg* 3. §. 47. *Lud. Capel. Arcan. Punct. lib.* 1. *cap.* 10. *Morinus Opuscul. Sam. cap.* 13. *pag.* 66, 67.

Respond. Argumentum hoc magnâ cum pompâ, verbisque assertum ampullatis in scenam non ita multò antè produxit *Lud. Capellus*: nuperrimè verò Doct. *Walton.* novo quidem & magno conatu, nullo tamen, vel siquo, pudendo successu, integrâ sectione propugnandum suscepit.

Pudendo

Pudendo dixi ſucceſſu; quia omnia ferè hujuſce objectionis jugulum petentia, quæ Clar. regeſſit *Buxtorfius*, ipſe prudenter diſſimulavit, eaque tantùm perſtrinxit, quæ facilioris ſolutionis videbantur. Nemo igitur mihi vitio vertat, *Buxtorfiana* iterum urgenti, atque per omnia, ubi ſuppetunt, aliena quàm mea adducere malenti: nedùm exclamet nauſeabundus, en cramben bis coctam; majora enim ſunt, quàm quibus, unâ vice, decoquendis adhùc fuit Ventriculus *Elianus*.

(1.) Sed priùs valere jubendi ſunt Græci & Latini Eccleſiæ patres plerique, ſi *Hieronymum*, *Origenem*, & paucos alios è Scholâ *Alexandrinâ* profectos, excipias, utpote Hebraicarum literarum rudes atque in hâc palæſtrâ minùs exercitati, quàm adducuntur, quæ ad totam hanc objectionem diluendam ſuppetunt. Negat quidem pro Auctoritate ſuâ Tribunalitiâ Cl. *Waltonus*, veteres Eccleſiæ patres linguæ Hebraicæ fuiſſe ignaros: *Capellus* verò licèt punctorum hoſtis longè acerrimus, illos pleroſque omnes linguæ Hebraicæ rudes fuiſſe, docet. *Arcan. Punct. lib. 2. cap. 20.* Inſtat vir doctus, dicitque, hoc licèt falſiſſimum ſit, dato, quòd patres plerique tum Græci tum Latini Hebraicam linguam neſciêrunt, non potuerunt tamen, quin aliquid de punctis audiverint, ſi tunc in uſu fuiſſent. Dato & hoc quoque, evincant priùs oportet punctorum hoſtes, quòd patres nihil unquàm auribus perceperunt, quin illud memoriæ prodiderunt, quàm hinc vel bilum eliciant, quod in cauſæ ſuæ ſubſidium, vel in noſtræ præjudicium ſit ceſſurum. Quod ad *Hieronymum*, *Origenem*, & paucos alios, qui Linguæ Sanctæ peritiâ pollebant,

ipsi certè dignissimi sunt, quibus aurem in hâc causâ, si quid locuti fuerint, præbeamus facilem. *Clementis Alexandrini* testimonium nos suprà adduximus; *Origenis* opuscula, undè forsan, si extarent, testimonia petere licuit, pleraque periêrunt: ut ex unius igitur *Hieronymi* scriptis, quæ extant, de punctorum existentiâ feratur sententia, oportet.

(2.) Quandoquidem igitur ex *Hieronymi* operibus, totas, quas habet, vires, hæc est mutuata objectio, illi solvendæ diutiùs immorari, ob reverentiam tanto in Hebraicis viro debitam minùs pigebit. Objectio verò, ne nesciat Lector, ita se habet. Nulla punctorum mentio apud *Hieronymum* occurrit, ne quidem in iis, ubi commodissima sesè obtulerit occasio. Ergò illa nondum ejus sæculo extiterunt, sed posteà demùm inventa fuere.

Respondâ. Antecedentis si hic sit sensus, nullam punctorum mentionem apud *Hieronymum* vel ῥητῶς, vel κατὰ τὴν διάνοιαν, vel directè, vel indirectè, vel explicitè & totidem verbis, vel implicitè & necessariâ consequentiâ fieri, certè & Antecedens, & consequens negare fas est.

(1.) Antecedens quidem licet negare, idque summo jure.

(1.) Quia loca apud *Hieronymum*, occurrunt quamplurima, in quibus punctorum, (non quidem nomina Technica, sed tamen) existentia satis elucescit. Ubi enim voces secundum consonas sunt omninò ambiguæ, ac diversimodè legi possint, ille juxta hodiernam punctationem legit, atque Septuaginta interpretatione rejectâ, omni cum παρρησίᾳ dicit, in Hebræo Codice sic habere. Nos è multis

multis, quæ congeſſit Cl. *Buxtorfius*, hùc pauca tranſcribemus exempla.

Gen. 15. 11. Duo hæc verba Hebraica וַיֵּשֶׁב אֹתָם, Septuaginta interpretantur καὶ συνεκάθισεν αὐτοῖς; & ſedit cum eis; legentes ſcilicet וַיֵּשֶׁב אִתָּם: *Hieronymus* verò hanc παραφρασιν perſtringens, dicit, pro his, quæ poſuimus, in Hebræo habet, & abigebat eas *Abram*; legens juxta hodiernam punctationem וַיְגָרֵשׁ אֹתָם. Hîc cum Clariſſimo *Buxtorfio* ſciſcitari licet, quomodo dicit *Hieronymus* in Hebræo ſic habere, cum abſentibus punctis, non magis hoc, quàm illud habeatur? Eædem planè ſunt conſonæ utrobique; tota differentia inter hæc duo intercedens in ſolâ punctatione poſita eſt: præſentibus, non abſentibus punctis, in Hebræo habetur, quod dicit *Hieronymus*; non verò quod voluerunt Septuaginta.

Eſa. 22. 14. legitur; וְנִגְלָה בְּאָזְנַי יְהוָה צְבָ אוֹת, & revelatum eſt in auribus meis domini exercituum. Vox בְּאָזְנַי formam habet pluralem, cum primæ perſonæ affixo; ac proinde ita legenda, in auribus meis: ſed Septuaginta, affixo primæ perſonæ neglecto, reddunt ſimpliciter ἐν τοῖς ὠσὶ, vel εἰς τὰ ὦτα; in auribus, vel in aures, non ſecùs ac ſi fuiſſet in formâ conſtructâ, בְּאָזְנִי. Quid ad hæc *Hieronymus*? Scilicet ita ſcribit; pro eò quod nos juxta Hebraicum vertimus; in auribus meis; 70 tranſtulerunt, εἰς τὰ ὦτα κυρίου; in auribus Domini.

Hîc iterùm cum *Buxtorfio* ſciſcitari fas eſt, quomodo dicit *Hieronymus*, ſe juxta Hebraicum vertiſſe, in auribus meis, ſi nulla vidit, vel habuit puncta? An בְּאָזְנַי ſine punctis, magis eſt in auri-

bus

bus meis, quàm ſimpliciter, in auribus? Amotæ mentis, & planè delirus ſit oportet, qui hoc affirmaret. Sine punctis æquè hoc, & illud ſignificat; & ſenſus unum æquè ac alterum admittere videtur. Inſaniit igitur *Hieronymus*, ſcribens ſe juxta Hebraicum vertiſſe, ſuppoſito illum non habuiſſe exemplar aliquod Hebraicum, punctis vocalibus locupletatum!

*Gen.*47.31. Legitur; & incurvavit ſe Iſrael ad caput, (המטה) lecti. Hîc vox המטה ſine punctis eſt æquivoca. Poteſt enim legi הַמִּטָּה lecti; & ita ſe habet in Punctatis Bibliis: vel הַמַּטֶּה, virgæ, & ita legiſſe ex punctorum abſentiâ Septuaginta ſuſpicantur nonnulli maximè punctorum hoſtes, *Lud. Capellus*, & *Br. Waltonus*.

Sed quid Divus *Hieronymus*? Scilicet audacter *Quæſt.* in *Gen. pag.*228. ſcribit; in hoc loco fruſtrà quidam ſimulant, adorâſſe *Jacob* ſummitatem ſceptri *Joſeph*, quòd ſcilicet, honorans filium, poteſtatem ejus adoraverit, cùm in Hebræo multò aliter legatur. Quomodò hîc dicit *Hieronymus*, in Hebræo multò aliter legi, cùm vox hebraica המטה ſine punctis conſiderata, utroque modo legi poſſit, & tam virgam, quàm lectum ſignificet, nec ulla ſit differentia?

*Gen.*18.13. Legitur; & riſit *Sara* in ſe ipſâ, dicendo, poſteaquàm ſenui, facta eſt mihi (ערנה) voluptas? Septuaginta verò habent; riſit *Sara* in ſemetipſâ, dicens ἔτι μέν μοι γέγονεν ἕως τῆ νῦν; necdùm mihi factum eſt uſque nunc. Quid *Hieronymus*? Aliter multò (inquit) legitur in Hebræo. Simul nota, quòd ubi nos poſuimus voluptatem, ibi *Eden* ſcriptum eſt in Hebræo. Cùm verò hæc

vox

vox עֲדֶנֶה legi poſſit עֶדְנָה voluptas, & uſque nunc, & 70 poſteriorem lectionem ſint ſequuti, quis *Hieronymo* dixit, aliter multò legi in Hebræo, quàm ipſi legerint, & in Hebræo ſcriptum eſſe *Eden*, quod voluptatem ſignificat? Quomodo tam certus hac de re eſſe potuit, ſi nullum habuit exemplar, in quo diſertè, additis punctis, ita ſcriptum fuerit?

Exod. 13. 18. Legitur; & aſcenderunt filii Iſrael ex terra Ægypti חֲמֻשִׁים. Quæ quidem vox Hebræa legi poſſit, vel *Chamiſchim*, vel *Chamuſchim*, ac diverſimodè exponitur ab interpretibus, quâ de re Divus *Hieronymus* ad *Damaſum Papam*, quæſtione ſecundâ, agens, ſic poſt alia ſcribit. Exiſtimanti curioſitatem eſſe finitam, major quærendi ardor exoritur, & ad ſimilitudinem *Hieremiæ*, diſſolvor undique, & ferrè non poſſum, quare Septuaginta, quintâ generatione, & *Aquila* tranſtulerit armatos? Volumen Hebræum replico, & ipſos Characteres ſolicitiùs attendens, ſcriptum reperio, *Vahamuſchim*. Quid ſibi vult, quod hic dicit *Hieronymus*, ſe Hebraicum volumen replicuiſſe, & ex ipſâ ſolicitiore Characterum inſpectione, ſcriptum reperîſſe *Vahamuſchim*? Quâ curâ, quâ ſolicitiſſimâ attentione aſſequi potuit, utrum *Vahamuſchim*, an *Vahamiſchim* ſcriptum fuerit, ſi volumen illud Hebraicum, quo uſus eſt, nulla habuit puncta? An quiſquam hominum unquàm adeò deliraverit, ut ex inſpectione earundem Conſonarum, quæ pro varietate punctorum ſuffectorum, varias voces conſtituunt, variaſque res ſignificant, hanc varietatem, abſentibus punctis, ſe poſſe diſcernere putaret? Ex nudâ Conſonarum inſpectione

one aliqualem conjecturam facere quidem poterat, sed non dicere, se ita scriptum reperisse; quod tamen Divus *Hieronymus* de vocibus ambiguis agens, sæpiùs dixit. Plurima istiusmodi exempla habet Clariss. *Buxtorfius*, ex quo, Lectoris in gratiam, quæ hîc adduximus nos sumus mutuati; si quis volet plura, ipsum consulat. *De Punct. Antiquit. part.* 1. *cap.* 11.

Ad hasce verò, & hujusmodi instantias, quid tandem reponunt Novatores *Eliani*? Nimirùm, *Hieronymum* ex usu & legendi consuetudine scire potuisse, vertendum esse מטה lectum, non virgam; & sic de cæteris, licèt puncta vocalia non essent. Cùm voces, quæ in se ambiguæ sunt sine punctis, certam tamen plerunque lectionem habent in contextu, quæ usu & traditione ad posteros derivata fuit. *Walt. Proleg.* 3. §. 47. sub finem.

Respond. Hoc totum est, quo eludi posse omnes istiusmodi instantias ex *Hieronymo* depromptas, sperant *Elianistæ*; quod nihil aliud est, quàm Judaico de traditione delirio, velle patrocinari; nos istiusmodi traditionis vanitatem, suprà evicimus, quò Lectorem remissum volumus.

Hoc verò quicquid est responsi, est prorsùs ἀπροσδιόνυσον; non in *Elianistarum*, sed in nostræ hypotheseos cedens subsidium. Nam

(1.) *Hieronymus* de suprà allatis vocibus agens, non dicit, se ex usu, & legendi consuetudine, non ex traditione sciviſſe, illas aliter legendas esse, quàm 70 legerint: sed dicit terminis terminantibus, illas aliter multò legi in Hebræo; ita scriptas esse in Hebræo; se juxta Hebræum, non juxta tradi-

traditionem vel juxta docti alicujus Judæi opinionem, vertisse; se denique Volumen Hebræum replicâsse, & ipsos Characteres solicitiùs attendentem, non *Vahamischim*, sed *Vahamuschim* scriptum reperisse; quo nihil majori cum *Elianistarum* confusione dici potest; cùm, quod & suprà notavimus, sine punctis vocalibus, non magis hoc, quàm illud scriptum reperitur. Vim igitur Divo inferunt *Hieronymo*, qui, pro juxta-Hebræum, legamus vellent, juxta traditionem, vel alicujus docti Judæi opinionem. Sed

(2.) Si pro juxta-Hebræum *Hieronymiano*, legamus vellent, juxta traditionem, usum, aut legendi consuetudinem, dicant nobis oportet *Elianistæ*, quænam fuerit ista traditio, iste usus, ista legendi consuetudo, quam ausus est *Hieronymus* Septuaginta interpretationi toties anteferre? Fueritne eadem hæc traditio cum istâ, quâ in Versione sua concinnandâ, usi fuerint Septuaginta, an ab illâ diversa? Si eadem, unde tanta differentia? Si diversa, nonne verisimile est, illam longè fuisse pejorem, quàm quâ usi sunt Septuaginta, quippe quæ tot sæculorum injurias nondum experta fuerit? Quid igitur fuit in causa, cur non Septuaginta, ex optimâ, liqua unquàm fuit, traditione, oriundam, potiùs, quàm alicujus privati Judæi, licèt doctissimi, vel traditionis incertæ, authoritatem est secutus? Certo certius, punctorum authoritatem in versione suâ concinnandâ secutus est *Hieronymus*, non præceptoris opinionem, non rancidulæ alicujus traditionis Αὐθεντίαν, quæ nulla unquàm fuit; saltem 70 Seniorum Authoritate longè inferior. Quandoquidem igitur in tot vocibus vertendis, toties à Septuaginta recesserit interpretatione

pretatione *Hieronymus*, certiorem aliquam habuit atque magis Authenticam legendi normam, cujusmodi præter punctationem Hebraicam, nulla unquàm fuit, nedùm futura est.

(2.) Quia expressa accentuum apud *Hieronymum* occurrit mentio; aliquando & vocalium; per quas quidem expressiones non tonos vel sonos, sed ipsissimas tum accentuum, tum vocalium figuras intelligi, viri, in hâc arenâ, nullis secundi volunt. In *epist. ad Evagrium* dicit *Hieronymus*; non refert utrùm *Salem*, an *Salim* nominetur, cùm *vocalibus* in medio literis perrarò utantur Hebræi; & pro voluntate Lectorum, atque varietate regionum, eadem verba diversis sonis, atque accentibus proferantur. Idem in principio præfationis in *lib. Reg. tom.* 4. *fol.* 7. ubi de Hebræorum & Samaritanorum literis, dicit; Pentateuchum Samaritanum totidem literis, ac Hebraicum scriptum esse; figuris tantùm & *apicibus* discrepare. Idem *expositi. cap.* 3. *Jon.* hæc habet; satis miror cur ita translatum sit, cùm in Hebræo nec literarum, nec syllabarum, nec accentuum, nec verbi sit ulla communitas. Idem in *Ezek.* 27. Frequenter Hebræa nomina pro diversitate accentuum, & mutatione literarum *vocaliumq*; quæ vel maximè apud illos habent proprietates suas, variè interpretantur. Imò & punctorum ἰωτῶς meminit. Singuli sermones (inquit) syllabæ, apices & puncta in divinis literis, plena sunt sensibus, in *epist.* ad *Ephes. cap.* 3. Ex hisce & similibus, satis constare, credunt viri in omni literaturâ versatissimi, *Hieronymum* puncta vocalia, & accentus, etiam quoad figuras noviſſe. Vellet quidem Doct. *Waltonus*, per vocales, matres Lectionis; per accentus, tonum ipsum; per apices verò non puncta

puncta vocalia, ſed literarum ductus, *Hieronymum* intellexiſſe. Sed licèt aliqua forſàn ex hiſce ita intellexerit *Hieronymus*, tamen in locis ſuprà allatis non ita intellexiſſe, arbitrantur ſummæ eruditionis viri. Ita *Marcus Marinus Brixianus*, *præfat. in Arcam Noæ*, qui, in *epiſtol.* ad *Evagrium*, & in *præfat.* in *lib. regum*, dicit *Hieronymum vocalium* mentionem feciſſe. Ita *Buxt.* junior *de Punct. Antiq. part. 1. cap.* 11. cujus (de verbis *Hieronymi*, quibus aſſerit Pentateuchum Samaritanorum totidem literis ſcriptum eſſe, ac Hebraicum, figuris tantùm & *apicibus* diſcrepare) hæc ſunt verba. Hîc quærendum; quid per apices intellexerit *Hieronymus*? Utique enim aliquid aliud & diverſum à literis. Nam de literis dicit, quòd figuris diſcrepent. Apices ergò hi ſunt diverſum quid à figuris literarum. Quidnam autem aliud eſſe poſſint, quàm apices vocalium? ita *Hottingerus exercit. Anti-Morin.* §. 27. *pag.* 34. quo nemo de ſenſu *Hieronymiano* confidentiùs eſt locutus. Per apices (inquit) ſine dubio intelligit *Hieronymus*, *puncta vocalia*. Hiſce addere licet, *Symeonem de Muis*, & *Joſephum Voyſin* cum multis aliis. Sed quos ſuprà adduxi ad iſtum caſtigandum faſtum, quò virum ſe in hâc palæſtrâ nequaquàm inferiorem, non nemo indigniùs tractaverit, nullam aliam ob cauſam, niſi quòd per apices *Hieronymum* puncta vocalia intellexiſſe, arbitratus eſt, abundè ſufficiant.

(3.) Quia *Hieronymus*, ubi verſio ipſius à veteribus diſcrepat, ad ipſos Judæos provocat, ipſumque textum Hebræum omnium diſcrepantiarum judicem ambit, utpote cujus genuinam lectionem, non conjecturâ, ſed ἀυτοψίᾳ, omnibus Hebraicæ Linguæ peritis, ſi libitum fuerit, tenere licuit. Quomodo verò

ad

ad Judæos provocare potuit, si ipsi codices punctis donatos habuerunt nullos? Quomodo ipsum textum discrepantiarum omnium judicem constituere potuit, si singulæ penè voces ob punctorum absentiam in diversos sensus trahi potuerunt: *Gen.* 47. 31. occurrit vox מטה, quam *Hieronymus* Lectum, Septuaginta virgam sunt interpretati. In hâc versionum discrepantia, quid tandem satisfactionis ex textûs Hebræi (ad quem tamen in hoc loco provocat *Hieronymus*) inspectione, expectandum, supposito, vocem hanc מטה sine punctis vocalibus scriptam fuisse? Nonne æquè virgam, ac Lectum significat hæc vocula מטה sine vocalium figuris scripta; præsertim cùm Orationis series utrumque admittat? Ita omninò! Punctis igitur donatam fuisse hanc vocem מטה tempore, quo ad textum Hebræum pro suâ versione justificandâ provocavit *Hieronymus*, nisi satisfactionem sitientibus, illum deditâ operâ illusisse (quod tanto viro maximè contumelioſum) fingamus. *epist.* ad *Sophronium* de versione *Psalterii*, hæc habet *Hieronymus*. Confidenter dicam, & multos hujus operis testes citabo, me nihil duntaxat sententiæ de Hebraica veritate mutâsse. Sic ubi ergò editio mea à veteribus discrepat, interroga quemlibet Hebræorum, & liquidò providebis, me frustrà ab æmulis lacerari. Idem in *epist.* ad *Suinam* & *Fritellam*, dicit. Sicut autem in Novo Testamento, si quando apud Latinos quæstio oritur, & est inter exemplaria varietas, recurrimus ad fontem Græci sermonis: ita in Veteri Testamento, si quando inter Græcos Latinosque diversitas est, ad Hebraicam recurrimus veritatem, ut quicquid de fonte proficiscitur, hoc quæramus in rivulis. Pluribus

hujusmodi

hujusmodi (quibus scatent opera *Hieronymiana*) recensendis superfedebimus; quippe ex hisce ansam sciscitandi arripere liceat. Quomodo tam confidenter ad Hebræos, & Hebraicam veritatem *Hieronymus* potuit provocare in iis, ubi à 70 & aliis interpretibus discrepat, si punctata exemplaria tunc temporis extiterunt nulla, sed ipsa Hebræa, de quibus lis movebatur, utroque modo ob punctorum absentiam, & contextûs ambiguitatem legi potuerunt? "Quænam (quæso) fuerit illa veritas He"braica, quæ aliam Lectionem *Hieronymo* suggessit, "quàm Septuaginta expresserunt, quando una ea"demque vox commodè utramque Lectionem admisit? Si usus fuerit, & Legendi consuetudo, an potuit *Hieronymus* Septuaginta in hisce se inferiores unquàm cogitare? Si Præceptores fuerint, nonne æquum videtur, ut illis Septuaginta Seniores multis gradibus præferret *Hieronymus*? Si verò dicant Adversarii, traditionem fuisse, quæ tandem dementia *Hieronymum* cepit, ut traditionem, quam à paucis, iisque reprobis, Judæis, ipse acceperat, certiorem atque majori fide dignam quàm quâ usi sunt 70 Seniores, & tota Ecclesia Judaica, privilegio Sancti Spiritûs adhùc donata, crederet? Ego quidem non ex meâ, sed (quod æquum est) ex Adversariorum sciscitor hypothesi; atque ideò donec hisce satisfactum fuerit erotematibus, concludam oportet, nihil horum Lectionem aliam *Hieronymo* suggessisse, quàm Septuaginta expresserunt; sed ipsa punctatio Hebraica, à quâ illos recessisse ἀυτόψια compertum habuit.

Hisce verò argumentis non obstantibus, ex quibus tam certum est *Hieronymum* & vidisse & habuisse punctata exemplaria, quàm quod certissimum, specialia ex *Hieronymo* loca proferunt Adver-

sarii, ex quibus contrà liquere credunt (quod enim volumus, facile credimus) illum nihil codicum punctatorum unquam vidisse.

Loca, quæ nobis ostentant, sunt in quibus *Hieronymus*, voces Hebraicas adducens, dicit illas esse ambiguas; ac variè pro diversarum vocalium additione posse legi. Hujusmodi sunt, quæ occurrunt, apud *Hieronymum* in *epist.* ad *Evagrium* de recta pronunciatione *Salem q.* 22. *Hierem.* de variâ significatione רדד. *Isa.* 26. 14. circa Lectionem *Zacar* & *Zecer*. item *Isa.* 32, ubi ait, ignis & lumen Hebraicè scribuntur iisdem literis; אור, quod si *Ur* legatur, ignem sonat; si *Or* lucem. Hisce & similibus locis ut planè satisfactum sit, perpendamus, oportet.

(1.) *Hieronymum*, licèt voces quasdam ambiguas esse & pro consequentia & Legentis arbitrio variè legi posse, dicat, ab hodierna Lectione non recedere, sed constanter certum & securum ei adhærere, etiam in iis locis, ubi Septuaginta aliam amplectuntur, neque falsam, neque incommodam.

(2.) Hinc liquet *Hieronymum* voces esse ambiguas dicentem, hoc intellexisse non simpliciter, sed secundum quid, de vocibus scilicet secundùm nudas consonas consideratis, quomodò consideratæ sunt quidem ambiguæ, & varias pro consequentia & Legentis arbitrio, interpretationes admittunt. Si verò aliquid ultrà intellexisset, voces nempe omni modò fuisse ambiguas, unde est, quòd semper eandem teneat vel plerúmque lectionem, quàm hodierna exhibet punctatio, etiam ubi veteres interpretes dissident, hanc vel similem sibi apologiam texens, se vertisse juxta Hebræum? Hinc mihi videtur concludi posse, *H* nullam aliam intellexisse ambiguitatem præter eam, quæ vocibus juxta nudas consonas con-

conſideratis ineſt ; illum verò non ita conſiderâſſe voces Biblicas, ſed punctis vocalibus definitas, docet ejus, de earum Lectione genuinâ, confidentia.

(3.) Cùm dicit voces eſſe ambiguas, & pro Legentis arbitrio legi diverſimodè poſſe, certè rationi reddendæ ſtudet; cur Septuaginta, vel alii interpretes aliter verterint, quàm in Hebræo legatur. Ille verò hanc unam aſſignat, quòd Septuaginta & alii interpretes, punctorum rationem non ſemper habentes, ſed ad nudas vocum conſonas ſolùm attendentes, à veritate aberrârunt Hebræâ ; quia voces ſine vocalibus, vel (ut ipſe loquitur) nudis conſonis conſideratæ, ſunt ambiguæ, variaſque admittunt interpretationes. Ita ſe rem habere ex iis, quæ in *Iſa.* 31. *ver.* ult. habet *Hieronymus* liquet ; ubi de אור verba faciens, dicit vocem eſſe ambiguam, & nudis conſonis ſcriptam, utroque modo poſſe legi & explicari. Cùm dicit nudis conſonis ſcriptam, hanc vocem eſſe ambiguam, haud obſcurè innuit, aliam dari ſcriptionem, punctis ſcilicet conficiendam, quâ ambiguitas tollatur.

Præter alia ſuprà allata, profert *Lud. Capel. Gen.* 26. 12. ad probandum puncta *Hieronymum* non noviſſe ; qui quidem locus ita ſe habet, & contrarium planè evincit.

Seminavit autem *Iſaac* in terrâ illâ, & invenit in anno illo centuplum hordei ; ita ſecundum Septuaginta : (ſed inquit *Hieronymus*) licèt in alienâ terrâ ſeminaverit *Iſaac*, tamen non puto, quòd tanta ei fertilitas hordei fuerit. Unde melius puto illud eſſe quod habetur in Hebræo ; & *Aquila* quoque tranſtulit, & invenit in anno illo centuplum æſtimatum ; id eſt ἑκατὸν ὑπαρμένον. Licèt enim iiſdem literis æſtimatio ſcribatur & hordeum, tamen æſti-

mationes שערים *Searim* legitur, hordeum verò שערים *Seorim*. Quid ex hisce verbis in noſtræ cauſæ præjudicium ceſſurum exculpi queat, ego profectò minùs capio. Quomodo enim tam confidenter dicit, melius puto illud eſſe, quod habetur in Hebræo, ſi nulla tum adfuerint puncta? Certo certius, ſine punctis unum in Hebræo æquè habetur, ac alterum. Iiſdem enim literis ſcribitur vox æſtimationem, quibus vox hordeum ſignificans: qui inter haſce voces ſine punctis diacriticis ſcriptas, vel leviſſimam oſtenderit differentiam, unde cum *Hieronymo* liceat dicere, hæc vox ita ſe habet in Hebræo Codice, illa verò non, erit mihi magnus *Apol. lo.* Scilicet vel neſciit Divus *Hieronymus* (quod abſit) ἀλαθείᾳ: vel exemplar habuit punctatum, in quo vox שערים, ſic שְׂעֹרִים, non verò ſic שְׂעֹרִים fuerit exarata. Nam rejectâ hac, illam haberi in Codice Hebræo affirmat. Alia habent, quæ magnâ cum pompâ obtendunt loca Adverſarii; ſed, quæ, ex duâbus ultimis regulis ſuprà poſitis, cum noſtra hypotheſi in gratiam facilè redigi queant.

(2.) Sed de Antecedenti ſatis, ſuperque, præterquàm quòd Lectorem in hiſce gratificandum eſſe putaverim: Conſequens, quod inde allatum vellent Adverſarii, eſt planè inconſequens. *Hieronymus* punctorum non meminit; ergò illius tempore extiterunt nulla. Pudet profectò iſtiuſmodi ineptiarum; pigetque viros doctos tam turpiter hallucinari, ut illas pro argumentis oſtentarent!

(1.) Quem enim hominem unquam latuit, humana teſtimonia non valere Negativè? *Ariſtoteles* in Phyſicis non ſcripſit de Circulari Sanguinis motu, vel de vaſis Chyliferis, vel de lymphæductibus. Ergo nihil horum datur. Argumentum planè eſt, non niſi

ſibilis

ſibilis excipiendum. Ejuſdem planè farinæ eſt argumentum, quo ex præſumpto *Hieronymi* de punctis Hebraicis ſilentio utuntur Adverſarii, atque ideò non eſt, quòd quemquam ratione utentem moveat. Licèt enim *Hieronymi* authoritas, apud eruditos longè, in multis, ſit maxima, tanta tamen nunquam erit, ut ubi ipſa pro nobis militat ratio, & hiſtoria ferè Catholica, quod hac certè in cauſa obtingit, ab ea, præſertim Negativè tantùm concludente, dependere debeamus. *Hieronymus* punctorum non meminit: ergò illo in vivis agente, nondum extiterunt. Non ſequitur!

(2.) *Hieronymo* punctorum mentionem faciendi, nulla vehemens ſe obtulit occaſio, nulla ſaltem illi incubuit neceſſitas. Idcircò *Hieronymi* ſilentio niti, qui neceſſariam punctorum commemorandi occaſionem habuerit nullam, non eſt argumentantis, ſed hariolantis, & conjecturis longè incertiſſimis, adverſus veritatem contendentis. *Hieronymum* verò nullam punctorum commemorandi nomine tenùs habuiſſe occaſionem neceſſariam dixiſſe auſim, quia quæ aliquâ ambiguitate laborabant voces ſecundùm nudas conſonas conſideratæ, illas diſcriminaturus vel Latinis literis, vel punctis ſubjectis diacriticis, exprimere potuit. Hoc illum feciſſe ſuadet & ratio compendii, & res ipſa loquitur. Exemplo ſit, vox דבר, quam tanto cum triumpho Doct. *Waltonus* oſtentat. *Hierem.* 9. 22. ad vocem דְּבַר Verbum Hebraicum, quod tribus literis ſcribitur דבר (vocales enim in medio non habet) pro conſequentia & Legentis arbitrio, ſi legatur *Dabhar* ſermonem ſignificat; ſi *Debher* mortem; ſi *Dabber*, loquere. Unde 70 & *Theodotion* junxerunt illa præterito Capitulo, ut dicerent, diſperdens parvulos de foris,

juvenes de plateis, morte. *Aquila* verò & *Symmachus* transtulerunt λάλησον, loquere. Non dicit *Hieronymus* verbum hoc posse in hoc loco pro arbitrio legi; sed si pro consequentia & Legentis arbitrio legatur; intelligens, nullâ habitâ punctorum, sed tantùm trium Consonarum, quibus scribitur, ratione, tum posse varias admittere significationes. Quæ tanta verò necessitas hîc punctorum nomine tenùs commemorandi? Imò (dicit Doct. *Waltonus*) æquum esset, ut hoc loco se explicaret, dicendo, דבר cum duplici *Camets* significare verbum; cum duplici *Segol* mortem vel pestem; cum *Pathach* & *Tsere* loquere; & quòd sic legerunt *Aq.* & *Sym.* & ipse sic legat: at 70 & *Theodotion* cum duplici *Segol*; vel si noluit puncta nominare, saltem debuit ea sub literis subscribere. Sed facilis est responsio, *Hieronymum* varias hujusce vocis דבר lectiones Latinis literis expressisse; quibus Hebraica adjunxisse puncta esset absurdum; nec necesse habuisse nominare puncta, quorum singulorum potestates, Latinarum vocalium ope satis exhibuerat. דבר si legatur (inquit) *Dabar* significat verbum; si *Deber* mortem; si *Dabber* loquere: ut verò diceret si דבר legatur *Dabar* cum duplici *Camets*, significat verbum; si *Deber* cum duplici *Segol*, mortem; si *Dabber* cum *Pathach* & *Tsere*, loquere, nulla illi incubuit necessitas. Frustrà fit per plura, quod fieri potest per pauciora. Quòd verò hoc in loco Latinis literis, ad varias hujusce vocis דבר lectiones exprimendas, usus fuerit *Hieronymus*, fatetur ipse Doct. *Waltonus Proleg.* 3. §. 47. ubi suprà jam allata nobis objicit, insuperque *Marianum Victorium* perstringit, atque malæ fidei reum peragit, ob Hebraicas literas cum punctis hodiernis pro Hebraicis verbis, quæ Latinis literis extant in *Hieron.*

textu,

textu, ſubſtitutas. Quando verò varias alicujus vocis lectiones Hebraicis literis exprimit *Hieronymus*, illum puncta quoque vocalia ſubjeciſſe, etſi forſan temporis injuriâ jam olim ex textu *Hieronymiano* expuncta, iſte, quo utitur, modus loquendi teſtatur. Exemplo ſit בסר, *Iſa. cap. 2. ver ult.* ubi de hâc voce annotat *Hieronymus*. Verbum Hebraicum בסר, vel בסור dicitur, id eſt excelſum, quod & in regnorum libris, & in *Ezekiele* legimus; vel certè in quo, & iiſdem literis ſcribitur בסר; ac pro locorum qualitate, ſi voluerimus legere in quo dicimus בסר; ſin autem excelſum vel excelſus, legimus בסר. Modus loquendi teſtatur *Hieronymum* varias hujuſce vocis בס pro variis ſignificationibus, in ſcribendo, expreſſiſſe pronunciationes. Quomodò verò, Hebraicis cùm uſus fuerit characteribus, differentiam hanc, quam innuit manu ſuâ expreſſerit, quomodo בסר in quo, à בסר excelſum diſtinxerit, ſi puncta non ſubjecerit vocalia, ego profectò non capio. De mortuis nil niſi bonum. Sed ſi varias duarum harum literarum *M N* in Sermone Anglicano ſignificationes explicaturus, ego ad Phraſeologiam *Hieronymianam* dicerem: Si voluerimus exprimere hominem (*Anglicè* Man) dicimus *M N*; ſi homines (*Anglicè* Men) *M N*; ſi multa (*Anglicè* Many) *M N*; ſi mea (*Anglicè* Mine) *M N*; ſi Medium (*Anglicè* Mean) *M N*; ſi Magnum (*Anglicè* Main) *M N*; ſi nummum, (*Anglicè* Money) *M N*; ſi lunam (*Anglicè* Moon) *M N*; ſin autem jubam *Anglicè* Mane) *M N*; nullis vocalibus additis, ex quibus ſolis tota hæc ſignificationum varietas eſt oriunda, quis non ſerio putaret me horrendâ mentis alienatione laborare? Qui igitur in vocis ſupradictæ explicatione negant *Hieronymum* punctis

vocalibus usum fuisse, quomodo venerandum Patrem ab omni læsi cerebelli suspicione expediant, ipsi viderint!

(3.) Concedant Adversarii alia quàmplurima *Hieronymi* ævo extitisse, quorum tamen ille in Scriptis suis mentionem fecit nullam; quidni quoque & ipsa puncta? Notarum תיקון *Keri* & *Chethibh*, *Hieronymus* nullibi fecit mentionem; neque Paraphrasium Chaldaicarum, *Onkeli* & *Jonathanis*: cùm autem id non fecerit, an propterea sequitur, illas in ejus tempore Codicibus Hebræis nondùm adhæsisse, vel hasce nondùm extitisse? Nihil minùs! *Hieronymum* verò habuisse occasionem & illas & hasce consulendi, neminem latet, præter illum unum, quem latet cujus Genii Notæ istæ *Masorethicæ*, & Paraphrases sint; & quid sit interpretem agere. Utrùm igitur *Hieronymus* punctorum mentionem fecerit, vel non fecerit, non multùm refert. Ex hisce & supradictis enim liquet, argumentum nullius esse ponderis, à patrum silentio deductum.

(11.) Undecimam contra punctorum antiquitatem petunt objectionem Adversarii ex aliis linguis Orientalibus maximam cum Hebraicâ Linguâ affinitatem habentibus: quales sunt Arabica, Chaldaica, Samaritana, & Syriaca; quas omnes puncta & accentus, vel recenter accepisse, vel hodiè ignorare aiunt. *Walt. Proleg.* 3. §. 48. *Lud. Capel. Arc. Punct. lib. Respond.* Quæstio de harum omnium Linguarum Origine, Antiquitate, propagatione, idiopathiâ, atque variis, quas temporis processu, vel perfectivis, vel corruptivis, subiêrunt mutationibus, latissimè se diffundit, & quæstiones alias secum trahit quàmplurimas, quæ altissimæ sunt indaginis, & quidem tractationis prolixioris accuratiorisque, quàm ratio

tio inſtituti, & noſtra tenuitas hîc nobis permittunt. Ne tamen penitùs intactam hanc objectionem præ-tereamus, atque punctorum hoſtibus ſeriò triumphandi anſam relinquamus, quæ noſtrum inſtitutum propiùs attingunt, quæque huic telo ſufficiunt retundendo, hoc loco ſubjicienda putavimus.

(1.) Non deſunt viri Linguarum Orientalium peritiſſimi, quorum conſtans ſententia eſt, omnes haſce Linguas ſuas jam olim habuiſſe Vocales, ab hodiernis licèt, quibus nunc temporis donantur, figurâ tenùs forſan diſcrepantes.

Samaritanos puncta vocalia olim habuiſſe, teſtatur (quem ſuprà adduximus) *Poſtellus* in Alphabeto duodecim Linguarum, ubi ait: Punctis hodiè, quæ habebant *Hieronymi* tempore, carent, leguntque ſine punctis depravatè admodùm. Nec eſt, quòd quiſquam hanc *Poſtelli* ſibilis (cum Doct. *Waltono*, *lib.* cui *titul. Conſiderat. conſid. pag.* 239.) excipiendam eſſe opinionem, putaret, ſi maximè conſtaret, illum anteà in contrariâ fuiſſe ſententiâ: plus vident anni, quàm annus; in proverbium abiit, Λύπεια φρονίδος σοφώτερα; quod ita proferunt Hebræi, *Chagiga. cap.* 1. non eſt ſimilis, qui legit lectionem ſuam centies, ei qui legit eam centies & ſemel. Vid. *Buxt. de Repetit.* Hoc obſervavit Doct. *Walt. pag* 235. ejuſd. *lib. de Schickardo* è Caſtris Iſraelitarum in *Eliana* transfugiente, transfugamq; ſummis cumulat encomiis: ſed (ὁ τῆς ἀυθαδείας venenum!) *Poſtellum* contrà cum ea, quam nos ſuſcipimus tuendam, ſententiam *Elianam* mutantem, nullis non onerat convitiis. Nimirùm hoc ſemper *Waltonianis* tenendum; qui veteri, veriſſimâ licèt, opinione valere juſſâ, in ſententiam abeunt *Elianam*, illos ſolos ſapere; cæteros verò omnes, quotquot ſunt, ineptire, delirare! Sed teſtimonio

Poſtelli

Postelli missо, quid D. *Hieronymus* in hâc causâ sensерit, commemorare libet. Illum in eâdem fuisse sententiâ hæc illius verba (quæ suprà quoq; attulimus) testatum faciunt. Samaritani Pentateuchum *Mosi*, totidem literis scriptitant (quot scilicet Judæi) figuris tantùm, & apicibus discrepantes. *Præfat. in lib. Reg. tom. 4. fol. 7.* Per apices hoc in loco *Hieronymum* puncta intellexisse vocalia dudùm senserunt Cl. viri *Buxtor. junior*, *Theodorus Bibliander*, *Hottingerus*, & post illos Doct. *Owenus*, quem ob hanc solam rationem summo fastuosi animi contemptu tractavit *Br. Waltonus*, tanquam ineptientem, atque summè ἄτοπον proferentem. Quoniam verò aliàs vir Doctus quod cedat in suas vindicias, scripsit Lectoris informandi ergô ex illis aliquid hùc transcribendum duxi. Scire velim (inquit *Theolog. lib. 4. Digres. 2. pag. 315.*) quinam sint isti apices, quibus præter & ultra figuras, Samaritanorum literas abs Hebraicis discrepare dicit. Literæ, quæ totis figuris discrepant quomodo apicibus etiam differre dici possint, ego non intelligo. Sed prodit D. *Walton* instar cujusdam Oedipi, dicitque *Proleg. 3 §. 48.* item *lib. Considerat. consid. pag. 239.* (invitâ Orationis *Hieronymi* serie) *Hieronymum* per apices intellexisse literarum ductus, & summas earum particulas, quemadmodùm dicit, *Zach. 12. 10.* Hebraicas literas ר & ד esse similes & parvo tantùm apice distingui. Sed observâsse debuit hic Oedipus, formulam orationis non esse utrobiq; eandem. Non enim dicit hîc quod in loco suprà citato, ר & ד esse similes, & figuris, & parvo apice discrepare. Hoc si hîc dixisset, næ fœdam admisisset παραλογίαν: non item in loco, de quo lis est, ubi aliud per figuras, aliud verò per apices intellexit; per figuras ductus, & summitates literarum; per apices verò puncta vocalia.

De

De Persica Lingua πληροφορίαν sortitum fuisse videtur Clar. *Hottingerus*, qui omni cum confidentiâ quærit, Persas suas semper habuisse vocales, quis dubitat? *Thes. Philolog. lib.* 1. *cap.* 3.

Nec aliter de Arabibus videtur sensisse; prout verba ejus testantur. Arabum (inquit) & sacra & profana scripta quamplurima suis vestita leguntur vocalibus, at non iisdem vel nunc, vel olim. Unico olim puncto in Antiquissimis *Alcorani* exemplaribus, diversas innuebat vocales, prout vel suprà literam ponebatur, vel infra, vel in ventre. Idem testatur. in *Gram. Chaldæo. Syriac. lib.* 1. *cap.* 4. Posteà ostendit quomodo paulatim hæc figura rotunda mutabatur in tres istos apices *Fatha* –, *Damma* ◞, *Kesra* ◟. quibus hodiè pro vocalibus utuntur Arabes. Prioris punctationis fidem facit, ex quodam *Alcorani* fragmento, Charactere *Cufico* exarati. Tale quid à Clar. D. D. *Edmundo Castello* memini me accepisse: quocum de hisce rebus sermones pro eâ, quam ipse Candidissimus mihi indulsit συγγνώμῃ miscens, ingenuè fassus est, *Alcoranum* ab initio punctatum fuisse, punctulum hoc (ni fallet *Augurium*) intelligens, varias vocalium omnium pro vario situ potestates præstitit.

Eandem olim fuisse Chaldæorum & Syrorum rationem, asserit Clar. *Hotting.* qui de iis sermocinans ait: eos etiam vocalium expressas notas habuisse, nullus dubito. ubi suprà. Huic suffragatur *Baumbachius* in *tract. de Ling. Orient.* ubi objicientibus, puncta non esse literis coæva, quia Arabes & Syri nulla habent, respondet (referente *Gerhardo*) per inversionem. Cùm duæ Linguæ, Syriaca & Arabica, quæ ab Hebræâ ortæ sunt, vocales habeant, ut ex libris Manuscriptis & impressis apparet, Matrem videlicet

Hebræam

Hebræam illis carere verisimile non est. Alia hîc de Vocalium Linguarum Orientalium antiquitate testimonia in promptu est, si cordi fuisset, proferre: sed quæ jam adduximus, satis liquidò demonstrant, Puncta olim non habuisse Samaritanos, Persas, Chaldæos, Arabes & Syros, non esse extra omnem dubitationis aleam, (quod volunt *Capellianistæ*) positum. Antecedens igitur τὸ ἐν ἀρχῇ λαμβάνει. Sed

(2.) Dato, non concesso Antecedente; Consequens fallacia πρὸς τὸ ἐπόμενον laborat. Quid si omnes istæ Linguæ ab initio vocalium notulis caruerint, num propterea necessariò infertur, Linguam Hebræam iis quoque ab initio caruisse? Cui tandem sunt nares tam obesæ, qui non ἀναχολυθίαν istam percipiat?

(1.) Hâc inductione haud possum induci ut credam, vocalium notulas Linguam Hebræam ab initio non habuisse: ob eam, quâ laborat, insufficientem Linguarum Orientalium enumerationem. Linguæ Chaldæa, Samaritana, Syriaca, Arabica, Persica, vocalibus olim caruerunt; ergò sic & Lingua Hebræa. Non sequitur. Dantur enim aliæ Linguæ Orientales quæ suas semper vocales habuerunt. De Linguâ Æthiopicâ res extra omnem dubitationis aleam posita est. Æthiopes enim Consonas & vocales à se invicem non disterminant, sed cum illis has coalescentes in unam figuram habent, unde usu venit, ut litera unaquæque & consonam & vocalem in se complectens, Syllabam constituat. Hinc necessariò sequitur, Æthiopum consonas & vocales esse coæva, & ejusdem planè ortûs. Qui in hisce satisfactionem ambit, consulat *Potkenii* Psalterium Æthiopicum; vel Lexicon Æthiopicum *Wemmeri*. De Linguis Armenâ & Coptâ sive Ægyptiacâ, quo Charactere

Charactere olim fuerint exaratæ, incertum eſt; Armenos verò & Coptos ſuas ſemper habuiſſe vocales, ex quo literis hodiernis uſi fuerunt, certiſſimum; ut apud *Kircherum*, *Poſtellum*, *Jacobum Bonav. Hepburn.* qui Alphabeta 70 Romæ edidit 1616, videre eſt. Cùm igitur tot dentur diſſimiles inſtantiæ, nulla certe de Linguis Orientalibus ex ſupradictis Particularibus elici poteſt generalis concluſio, quæ Linguam Hebræam neceſſariò complectatur. Cur verò Lingua ſancta non potiùs vocalium notulis frueretur, cum fruentibus, quàm careret cum cæteris carentibus, nulla ſufficiens ratio aſſignari poteſt.

(2.) Inconſequens eſt, ob diſſimilem inter linguam Hebræam & cæteras Linguas Orientales rationem. Illa eſt prima: hæ ortæ. Illa Mater longè venuſtiſſima, hæ verò filiæ degeneres, à Matris tum Genio tum ingenio deflectentes. Illa Linguarum omnium perfectiſſima, utpote quæ ipſum Deum habet Authorem: hæ verò multis laborant imperfectionibus, quippe quæ ex horrendo πυρρηπείας ſcelere ortum duxerint. Cur itaque ob filiarum deformitatem, de pulchritudine matris, cunctis formæ dotibus inſignitæ, detraheremus? Cur iſtarum Linguarum imperfectiones, Linguæ Hebraicæ perfectioni præjudicarent? Vocalium defectus iſtarum Linguarum imperfectionem quidem evincit; ſed Linguam Sanctam eâdem imperfectione laborare nequaquàm!

(12.) Duodecimam objectionem ex diverſitate pronunciationis inter propria Nomina ſecundùm hodiernam punctationem, & eadem ſecundum Novi Teſtamenti Græcum lecta, occurrentis, eliciunt Adverſarii. Evangeliſtæ, inquiunt, uti & Apoſtoli propria hominum & urbium nomina, longè aliis

voca-

vocalibus & punctis enunciârunt, quàm hodie in punctatis legantur exemplaribus. Ergò puncta non extitisse in Evangelistarum & Apostolorum temporibus, sed post quingentesimum à Christo nato annum à Rabbinis *Tiberiensibus*, non tantùm rerum, sed & vocabulorum ignarissimis, demum inventa fuisse, concludunt. *Vossius de Translat. 70. cap. 30. pag.* 98. & alii.

Respond. Majorem confidentiam in re leviori nemo unquam adhibuit, quàm qui hac utuntur objectione. Nam

(1.) Constat vel labiis & tonsoribus, vocabula de unâ Linguâ in aliam transfusa, istius Linguæ Genium & indolem sapere, in quam transfunduntur. Quælibet enim Lingua (inquit *Gerhardus*) nomina propria aliena, ad suarum aurium judicium conformat, ut interdum vix agnoscas an eadem sint, an diversa. Exemplo sit unum Hebræorum Alphabethum; unde nomina literarum in omnes ferè Gentes, sed pro cujusque Linguæ indole diversificata traducuntur. Ex uno enim *Aleph* fluxit Arabum *Eliph*; Syrorum *Olaph*; Græcorum *Alpha*; cæteraque deinceps his similia. Usque adeò manifestum est, vocabula, præsertim Nomina hominum & urbium propria, ad istius linguæ flexionem & rationem accommodari, in quam translata sunt; quod vel sexcentis exemplis probari posset. Vid. *Mercer. Gen. 11. ver. 1.*

(2.) Si ex ista, quæ inter nomina propria in punctatis exemplaribus, & eadem in Græco N. T. textu occurrentia, intercedit, diversa lectione, inferri posset, puncta esse recens Rabbinorum *Tiberiensium* inventum, certè ex eodem principio inferri posset, etiam hodiernas literas ab iisdem inventas

esse

eſſe *Maſorethis*, quod tamen hujus opinionis patroni vixdùm admittunt. Interpretes non obſervâſſe accuratè in nominibus propriis ſingulas literas & literarum Apices, ſed ad idioma vulgò uſitatum ſe accommodâſſe, evincunt *Salomon*, à *Schelomach*; *Judas*, à *Jehudah*; *Joſaphat*, à *Jehoſchaphat*, *Jeſus*, à *Jeſchua* ע; *Joſias*, à *Joſchijahu*; *Ezekias*, à *Hizkijahu*; *Babylon*, à *Babhel*; cùm aliis quàmplurimis, quæ hîc adducere haud opus eſt. Ex hiſce jàm adductis æquus Lector, quid de reliquis judicandum ſit, nullo negotio animadvertet. Nimirùm vel diverſitas, quæ in horum Nominum literis occurrit, viros N. T. Θεοπνεύστους ac Veteris non eaſdem habuiſſe literas probat; vel (quod veriſſimum eſt) argumentum à diverſâ Nominum propriorum pronunciatione deductum, punctorum Antiquitati nequaquàm præjudicare. "Tota enim pronunciationis "diverſitas, non ex punctorum Novitate, ſed ex "Conſuetudinis iſtius vetuſtate, ſecundùm quam "Sacrorum voluminum Scriptores & interpretes, "idiomatis vulgaris permagnam ubique rationem "habuiſſe videntur, eſt planè oriunda. Atque hinc "tanta apud eos cernitur, præſertìm in Nominibus "propriis, varietas: dum ubique ferè veſtigiis "vulgi inſiſtere malunt, ſonoſque ac literas à ſermone quotidiano abhorrentes fugiunt. *Ful. Miſcel. lib.* 2. *cap.* 10. *pag.* mihi 251.

(13.) Ultimam petunt objectionem punctorum hoſtes ex veteri Cabaliſtarum Legis interpretum dicto, Legem ſcilicet totam fuiſſe datam inſtar unius Verſiculi, imò ſecundum quoſdam inſtar unius vocis; hoc eſt, continuâ vocum ſerie, abſque omnibus pauſarum notis, atque ſine omnibus vocum diſtinguendarum ſpaciis ſcriptam. Hujuſce dicti fidem

fidem ex *Elia Levita* facere conantur, qui præfatione tertiâ in librum ſuum *Maſoreth*, ſcribit. וּלְפִי דֵעַת בַּעֲלֵי הַקַּבָּלָה כָּל הַתּוֹרָה הָיְתָה כְּפָסוּק אֶחָד וְיֵשׁ אוֹמְרִים תֵּיבָה אַחַת : *Hoc eſt.* Juxta ſententiam Cabaliſtarum, fuit tota lex ut verſus unus, aut ut quidam dicunt, ut dictio una. Adducunt quoque *Ramban*, in præfatione Commentariorum in Pentateuchum *Eliæ* adſtipulantem. *Ludov. Capellus*, *Arcan. Punct. lib.* 1. *cap.* 4. *pag.* 19. *Pet. Martinii Technolog. cap.* 1. *pag.* mihi 66.

Reſpond. Objectionem hanc planè portentoſam diluere nullius erit negotii. Imò, ſi quis omnes, quibus fabula hæc laborat, emuſcare vellet errores, unâ liturâ id expediret : inſuperque qui cum *Elia* ineptientes eâ ſunt uſi, eos ut facti ſeriò pigeat pudeatque, efficeret. Sed ne diutius me vela jamjam complicaturum iſtiuſmodi diſtineat objectiuncula, hæc duo regeſſiſſe contentus, quò tendit ſcopus, pergam.

(1.) Hypotheſin, cui tota hæc ſuperſtruitur objectio, eſſe à vero alieniſſimam. Quod enim tota lex ſcripta fuerit ſine ullâ vocum diſtinctione, aut interjecto aliquo inter voces ſpacio, ut quaſi unus verſus, aut una vox totus textus fuerit, id putidum Cabaliſtarum figmentum eſt, nullis planè ſuffultum, vel genuinæ Antiquitatis, vel ſolidæ rationis fulcris. Imò Talmudici & *Maſoræ* Conſarcinatores omnes *Eliæ* & ejus aſſeclis, *Capello* ac *Martinio*, reclamant, docentque Textum Hebraicum in verſus (quos פְּסוּקִים à פֶּסֶק ceſſare, finem habere, abſolvi, quaſi ſententiarum abſolutiones, vocant) diſtinctum fuiſſe, non demùm per Judæos *Tiberienſes* longo tempore poſt, ſed longiſſimo tempore ante. Talmud, ſaltem à viris Synagogæ Magnæ, ſi non à primâ

primâ ſuâ Origine. Certo certius, diſtinctionis verſuum in utroq; Talmud creberrimam fieri mentionem. Liquet hoc ex *R. Jehuda* primi Textûs Talmudici authore, qui in *Miſchna, lib. Megilla cap.* 3. ſcribit. הַקּוֹרֵא בְּתוֹרָה לֹא יִפְחוֹת מִשָּׁלֹשׁ פְּסוּקִים : *Hoc eſt.* Qui legit in Lege (nempe in Synagogâ publicè) non leget minus quàm tres verſus. Et iterùm in eodem *lib. Megil. cap.* quoque 3. aiunt. כָּל־פְּסוּקָא דְּלָא פְּסִקֵיהּ מֹשֶׁה אֵינָן פְּסִקִינָן לֵיהּ : *Hoc eſt.* Quemcunque verſum non diſtinxit *Moſes*, nos etiam non diſtinguimus eum. *Maſorethæ* verſuum numerum in fine ſingulorum Librorum textui ſtatim ſubjecerunt, quod evincit, eos actu tunc temporis diſtinctos fuiſſe. *Hieronymum* hiſce adjungere licet, qui aſſerit, ſe ad utilitatem Legentium eaſdem Commatum inciſiones, & intervallorum diſtantias, quas in Hebræis Codicibus invenerat, in tranſlatione ſuâ ſervâſſe. *Præfat. in Paraleip.* Corruit igitur totum, cui ſuperſtruitur hæc objectio, fundamentum.

(2.) Hâc admiſſâ hypotheſi, de toto V.T. textu eſſe conclamatum. Quid enim certi firmive expectandum ubi ne voces quidem diſtinguuntur, ſed in unum longiſſimum informe horrendum, neſcio quid, conſarcinantur omnes? Perpendat pius Lector verba *Johannis Morini* hanc hypotheſin Cabaliſticam deſcribentis. Cabaliſtarum ſententia eſt (inquit ille de Heb. Græcique textûs integrit. *pag.* 196.) legem à *Moſe* ſcriptam fuiſſe, non modò ſine punctis, accentibus, & diſtinctionibus verſuum, ſed etiam ſine dictionum ſeparatione & formatione, ita ut tota Lex eſſet velut una longiſſima dictio, cujus diſtributio in varias dictiones ore tenùs à

Deo *Moſi* tradita eſt. Tandèm paucis interjectis monet; ne ſtupeas, Lector, hoc Cabaliſtarum pronunciatum! Sed, ut cor omni Supremi Numinis & amore & timore habeat vacuum, neceſſe eſt, qui iſtiuſmodi portenta non ſtupet; Nam cui tam ſunt nares obeſæ, qui non Figmentum hoc Cabaliſticum, ſubodoretur omnium malorum Lernam eſſe atque ſentinam? " Amoveantur puncta vocalia, " accentus diſtinctivi omnes, nudæ literæ abſque " omni vocum ſeparatione ac formatione commit- " tantur, quanta Malorum ilias, quantæ difficul- " tates, & lites perniciosæ Eccleſiam inundarent, " illicò pateret. Specimen non ita pridem impudens quidam (inquit *Hottingerus Theſaur. Philolog. lib.* 1. *cap.* 2. *quæſt.* 4. *pag.* 210.) in *Galliâ Corybanta* edidit ridiculum dicam, an temerarium? Verba *Pſalmi* primi initialia variè pro arbitrio divulſa, ac commiſſa, in haſce tandem voces, nullâ literarum factâ μεταθέσει, formavit. אַשְׁרֵי יְדִיד אִישׁ אֲשֶׁר לְאֵה לֵךְ בְּעֵץ תִּרְשׁ עֲיֵם וּבְרֹךְ חִטִּים יְמַלֵּא עַמְּדוֹ בְּמוֹשַׁב לַצִּיּם לְאִישׁ בְּנִי: *Id eſt.* Canam Deum hominem qui paſſus eſt pro te in ligno, pauper fortitudo eſt facta, & pro generatione tuâ expiavit, conſecravit columnâm ſuam in Cathedram pro manibus, viro fletûs. Pro .——אַשְׁרֵי הָאִישׁ אֲשֶׁר *Beatus eſt vir ille, qui*——.

Ex hiſce nullo planè negotio conjectare licet, quò luxuriantia hominum ingenia penetrent, ſi ſemel receptam, quam & punctis & debitâ vocum diſtantiâ quaſi circumvallatam habemus, Scripturæ, in dubium vocemus, lectionem. Quæ quidem ex Pſalmo primo adduximus, ſunt melioris notæ Auguria, &, ex materia quâdam divinâ confiſta: ſed amove-

amoveantur puncta, tollanturque neceſſariæ dictionum diſtantiæ,& quæ tandèm,omnia Scripturæ dicta in novum,& à mente Spiritûs Sancti alienum, retorquendi ſenſum, non dabitur anſa? Hoſpes ſit, oportet, in omni re Hebræorum literariâ,qui neſcit, ex literis pro arbitrio divulſis, & invicem commiſſis, totam cujuſque ferè paginæ Biblicæ faciem poſſe miris modis transfigurari. Sed quis Chriſtianorum iſtiuſmodi Tragœdias, ex conceſſâ Cabaliſtarum hypotheſi propudioſiſſimâ, quam ſuprà reprobavimus, admittendas, in veritatis Hebraicæ contumeliam ceſſuras, non totus exhorreſcat? Nimirùm non proborum, ſed tenebrionum Scientiæ famâ laborantium hic mos eſt,ut ληρωδίαις & μύθοις γραώδεσιν obtinere velint,quod ſolidis rationum momentis nequeunt. Quid plura? quod in ſe eſt longè falſiſſimum, & ex conſequentiis, quibus oneratur peſſimis, longè pernicioſiſſimum, id certè fruſtrà nobis oſtentant pro objectione punctorum hoſtes. Tale verò eſſe Cabaliſtarum, de Lege inſtar unius dictionis datâ,figmentum, ex iis, quæ ſuprà & etiàm hîc adduximus, eluceſcit. Tollatur igitur Cabaliſtarum hypotheſis longè vaniſſima, ut tota hæc ultima objectiuncula ex illa oriunda, unà corruat: interìm nata fixáque maneat hæc planè Theologica (quam ſuſcepimus patrocinandam) veritas, Puncta ſcilicet Hebraica non eſſe inventum aliquod recentiùs à *Maſorethis Tiberienſibus*, quingenteſimo, à Chriſto nato, anno profectum, ſed ipſis, quibus hodierna exarantur exemplaria, literis coæva. Ὅπερ ἔδει δεῖξαι: quod erat demonſtrandum.

Atque hæc ſunt, quæ, Veritatis Hebraicæ vindicandæ adducti ſtudio, de Punctis, & genuinâ

eorum Antiquitate, proferenda ſeriò putavimus tandemque, obſtetricante Supremi Numinis providentiâ, protulimus. Minutiis utrinque, & quæ ad Pompam, magis quàm ad pugnam faciunt, valere juſſis, ne Tractatus hic (in quo ut tota hæc controverſia compendifierit, ſtuduimus) juſto major prodiret; nos ſumma rerum Capita, & omnia majoris momenti, quæ jugulum cauſæ petunt, nos pro modulo noſtro, ſumus perſecuti. Argumentorum, quæ in hujuſce *Tractatûs* libro primo, adduximus, non quidem deſideratur כַּמּוּת ſeu quantitas: quantâ verò pollent אֵיכוּת qualitate eorum eſt judicare, quos & literarum Hebraicarum aliqualis cognitio, & Chriſtiana ſacri Codicis occupat ἐυλάβεια.

Adverſariorum objectiones parte hujuſce opuſculi poſteriore agitatas, quod attinet, iſtiuſmodi planè ſunt, de quibus omnibus dicere fas ſit, illis tantam ineſſe probabilitatis ſpeciem, quanta ad credulorum & aliud agentium oculos perſtringendos ſufficiat; nihil verò indubitatæ veritatis, cui ratione utentes tutò acquieſcant. Adeò ut in hiaſce objectiones optimè mihi accommodari videatur, quod Sanctus ille & venerandus *Irenæus*, *lib.* 1. adverſus *Valentinum*, non procul ab initio, his verbis annotavit. Ἡ πλάνη καθ' ἑαυτὴν μὲν ἐκ ἐπιδεικνυται, ἵνα μὴ γυμνωθεῖσα γένηται καταφωρος· παδανῷ δὲ περιβλήματι πανούργως κεσμυμένη καὶ ἀυτῆς τῆς ἀληθειας ἀληθεστέραν ἑαυτὴν πρόχειν φαίνεται διὰ τῆς ἔξωθεν φαντασίας τοῖς ἀπείροτέροις. Error per ſe quidem non oſtenditur, ne nudatus deprehendatur: ſed ut veriſimili amictu callidè ornatus, ipſâ etiam veritate ſe veriorem præbere externâ ſpecie videatur imperitioribus *L'empereur præfat. in Clav Talm.* Ne quis

in

in posterum, specie Veritatis ementitâ, in sententiam alliciatur *Elianam*, larvam detraxi, objectionesque omnes Phaleris nudatæ, ut in medium producerentur, curavi. Qui præter nugas, & vanissimas hominum conjecturas, ex illis emuscare potest, dignus plane est, qui apud omnes audiat magnus *Apollo*! Ego forsàn in quibusdam examinandis aliò, quàm ipsi Authores, respexerim. An factum sit nescio; fieri potuisse, non eo inficias. Dissidentes æquissimo animo fero; quid enim in literis tractandis gratius, quàm mutuo examine elicere veritatem? Nulli hìc præscribitur, nullius hìc præjudicatur libertati: qui meliora & certiora proferet, non est quòd dubitet, quin me sit habiturus summo gratulabundi animi affectu illi adstipulantem. Interìm non possum non sequi, quod summa rationis momenta mihi jam pridem ambabus ulnis complexari suaserunt. Si & aliis persuasero, benè est! sin minùs, & hoc benè. Mens enim boni studii ac pii voti (inquit *Sal. præfat. in lib.* 1. *de Guber. Dei*) etiamsi effectum non invenerit cæpti operis, habet tamen præmium voluntatis. Agat quisque quod sibi visum fuerit; ego suspectas habeo opiniones, quotquot sunt, omnes, quæ sacri Codicis vel certitudini, vel perspicuitati, detractum eunt. Puncta Hebraica, quæ impugnanda suscepit Gens *Eliana*, sunt quidem in sacris literis Minimæ Entitatis, sed tamen mihi semper sunt visa maximæ efficaciæ; quippe ex quibus Genuinus Spiritûs Sancti sensus maximè pendet. Qui igitur punctationi dehonestandæ student, cœlestem Veteris Testamenti Doctrinam, & fidei πληροφορίαν inde oriundam nobis invidere videntur. Sed Θεῷ ἀνταποκρινώμεθα, ὡς διὰ μικρῶν καὶ ἁπλῶν λόγων

ἡ ἀλήθεια τὰς ἁπλᾶς ὑὸς εἰς ὁδὸν δικαίαν ἐπαγαγοῦσα πάντα, καὶ τὰ ψεύδη καὶ πολύκομπα διὰ πολλῆς μαχαιρᾶς καλλωπίσματα διασκεδάννυσιν ἀνατρέπουσά τε καὶ ἀφανίζουσα πανταχοῦ βαίνουσα. *Id eſt.* Deo gratias agamus, quòd per pauca ac ſimplicia verba, veritas filios ſuos ad rectam viam deducere ſolet, & impia ac faſtuoſa per multam artem fucata diſpergit, evertitque placidè incedens. *Epiphan. hæreſ.* 35. *pag.* 117. Verùm enimverò, quamvis ſemper invicta maneat veritas, nunquàm tamen adverſùs eam ſe attollere deſinit phalerata falſitas. Veritas enim multas oppoſitiones experta eſt, & etiamnùm experitur: ſeſe tamen expediet, & viam triumphandi, ſi non invenerit, olim aſpirante Deo, efficaciſſimè faciet. Quare, poſthabitis hujuſce ſequioris ſæculi erroribus, uni veritati litemus, nudæ veritatis amore corripiamur, veritatem ſolam ſequamur ducem, omnia denique veritatis puncta & apices imbibamus gratulabundi; quippe quæ iſtiuſmodi ſunt, ut nihil eorum ſit præteriturum, uſque dum præteriêrit cœlum & terra! Quod Hebræi de Lege, id ſanè de veritate ipſâ Legis animâ, pronunciare licet. (addam & ego) כָּל־הָעוֹלָם כּוּלוֹ אֵינוֹ שָׁוֶה לְדָבָר אֶחָד אוֹ אוֹת אַחַת אוֹ נְקוּדָה אַחַת מִתּוֹרָה: *Hoc eſt.* Totus mundus non æquivalèt unico verbo, uni literæ, vel minimo Legis punctulo! dictum *R. Chijæ* in Talmud. *Hieroſolymitano*, in *Peah.* Hæc meritò omnibus colenda; utpote quæ animam à vitiorum ſervitute liberet, ab errorum tenebris vindicet, Deo in hâc vitâ conjungat, & mori in futurâ, vel à Deo ſejungi nunquàm patiatur. O quantopere noſtrâ intereſt, capi, allici, imò inebriari mirificâ veritatis cœleſtis dulcedine! Quàm

ſuave

ſuave uomen, quàm pulchra facies, quàm jucunda, & energetica omnia veritatis præcepta! Pauca ſunt, quæ mandat, ſed ſalutaria; expedita, ſed ſancta: præcepto parva, ſed fructu grandia; ſcripto brevia, ſed beatitudine ſempiterna. *Sal. de Eccleſ. lib.* 1. *pag.* 348. Adeamus igitur, adeamus ſummo venerabundi animi affectu, ſacra Dei oracula, iſta ſcilicet Lucis cœleſtis vehicula, iſta vitæ diviniòris pabula, iſta denique Veritatis ſalutiferæ reſpiramina! Ibi (utì *Fulgentiùs* de *diſpenſatoribus Dom. pag.* 611.) prorſùs conſulitur ad ſalutem univerſis, quos dominus ſalvare dignatur. Ibi eſt, quod omni ætati congruat. Ibi quod omni profeſſioni conveniat. Ibi audimus præcepta, quæ faciamus. Ibi cognoſcimus præmia, quæ ſperemus, ibi eſt juſſio, quæ nos per literam doceat, & inſtruat, ſcientiam. Ibi promiſſio, quæ per gratiam trahat, perducat ad gloriam. " Sed proh dolor! " quàm pauci ſunt, quos hodiè ſeriò tangit hujus " rei cura? quàm rari, præ illis, vel quibus non " eſt cordi tanti Theſauri diſquiſitio; vel etiam " quibus ſordent Margaritæ & gemmæ ſuo ful- " gore coruſcantes, eloquiorum divinorum ſa- " cris voluminibus inſperſæ, & inſertæ! *Rivet.* " *Præfat. in Iſagog.* Sed hiſce miſſis, miſeret quidem eorum, qui veritatem petunt, ſed non inveniunt, eò quod malè petiêrunt. Non enim ſatìs eſt, bona petere, niſi & benè petamus. Quod ut fiat, in manu verſetur, in oculis habeatur, in corde reponatur verbum Dei, oportet. Arborem vitæ extra Paradiſum quærunt, qui extra ſacri codicis paginas veritatem quærunt. Οι (igitur) πονῆν ἕτοιμοι ἐπὶ τοῖς καλλίσοις, ἢ πεῖσεσιν ἀποσίσον ζητῆτις ἢ ἀλήθειαν, πεὶν ἂν ἢ ἀπὸ δόξιν ἀπ' ἀὶλῶν λάβωσι ἢ γεαφῶν.

Qui in rebus pulcherrimis laborem impendere ſunt parati, non deſiſtant priùs quærere veritatem, quàm ex ipſis ſcripturis acceperint demonſtrationem. *Clem. Alex. Strom. lib.* 7. *pag.* 543. Sola veritatis Acropolis eſt Verbum Dei. Hæc unica Domus ſapientiæ, juxta cujus fores ſemper vigilandum, ad cujus oſtia quotidiè expectandum, ut tandem ad Veritatis plenitudinem irrumpere admiſſi, tandem evadamus beati. Sed (μιᾶς ὔσης τῆς ἀληθείας, πολλὰ τὰ συλλαμβανόμενα πρὸς ζήτησιν αὐτῆς. *Clem. Alex. Strom. l.* 1. *p.* 233.) cum ſit una veritas, multa ſunt, quæ ad ejus conferunt inquiſitionem. Veritatis è ſacro Codice eliciendæ adminicula & media adhibenda quàmplurima putârunt Magni Nominis Theologi: cujuſmodi ſunt, ſedula divini auxilii & luminis imploratio; Verborum propriorum ab impropriis diſtinctio; locorum ſimilium & diſſimilium collatio; totius contextûs συναφείας diligens conſideratio: & fontis denique Græci, ac Hebraici accurata inſpectio. Fontis verò Hebraici inſpectio inutilis & fruſtranea evadat, neceſſe eſt, niſi divina accedat punctatio, cujus vi voces in ſe πολύσημοι, & æquivocæ, ac ad varias formas recipiendas aptæ, ſenſum tandem non vagum, ſed certum, determinatumque nobis exhibeant. Hâc igitur pro clave utendum eſt iis, quoſcunque Sacrum Veteris Teſtamenti Codicem, quem Sapientiæ Domum diximus, ingredi fert animus. Quemadmodùm enim aurea quædam, ne dicam, ferrea, Clavis *Regiæ Cameræ* non minùs honorabilis utilis ac neceſſaria exiſtimatur, quàm aula ipſa, ſeu regia *Camera*: ſic Punctatio Hebraica ſanctarum literarum clavis aurea cenſenda eſt, eaque, æquè honorabilis, utilis ac neceſſaria,

ac

ac ipſe contextus ſacer ex ſolis conſonis conflatus, quem *Regiæ* alicui *Cameræ* aſſimilare licet. Sublatâ enim punctatione, genuinum Spiritûs Sancti ſenſum elicere, veritatis abyſſos irrumpere, Legis divinæ Myſteria perſpecta habere, vix & ne vix quidem quiſquam valeat: ſed punctis ſacro codici Θεοπνεύστως infertis, ad cœleſtia verbi *Arcana*, & abdita Myſteria longè faciliùs, & cum quâdam animi jucunditate ineffabili perveniatur. Sed cùm hoc pluribus ſuprà, ſi non demonſtraverim, ſaltem demonſtrare, (quantùm ingenii mei tenuitas, materiæ difficultas, & librorum neceſſariorum, quâ laborant Bibliothecæ pleræque rurales, penuria, permiſerunt) ſum conatus, ut ad portum adſpirem, licet; utinam & in portu navigem! Videor licèt mihi debitum hujuſce operis (ingentis cum *Auguſtino*, non eſt quod addam. *De Civit. Dei lib.* 22. *cap. ult.*) reddidiſſe: non aulim tamen de ejus ſufficientiâ vel perfectione mihimet adblandiri; quippe qui, illud minus ἀκριβείας habere, quàm ut examen *Ariſtarchianum* ferendo ſit, nedùm divinum, optimè noverim. Nam omnibus Malis Punicis granum aliquod putre ineſſe, teſtatur adagium. Humanum eſt errare: ſolus Deus ἀναμάρτητος ſupra omnem errandi aleam poſitus eſt. Quemvis igitur oratum (utì olim *Auguſt. de Trinit. lib.* 1. *cap.* 3.) volo, ut in ſingulis, quæ legerit, ubi pariter certus eſt, pergat mecum; ubi pariter hæſitat, quærat mecum; ubi errorem ſuum cognoſcit, redeat ad me; ubi meum, revocet me. Si quid in his bene eſt, divinum agnoſcat; ſiquid malè, quod humanum eſt ignoſcat: ſiquid dixi quod placeat, habeat Deo gratias propter me; ſi quid non, ignoſcat mihi

mihi propter Deum. Quibus parvum, vel quibus nimium eſt, mihi ignoſcant. Quibus autem ſatis eſt, non mihi, ſed Domino mecum gratias congratulantes agant. Verbulo dicam adorabundus. Domine Deus, quæcunque dixi de tuo, agnoſcant & tui; ſi qua de meo, & tu ignoſce, & tui. *Ludov. Viv. in Aug. de Civit. Dei. lib. 22. cap. 30.*

Amen, Amen!

פֹּה נִשְׁלַם הַסֵּפֶר נִיקּוּד מָתֹק טְרֻבַּשׁ טוֹב מְפֻנִּינִים
וְהָאֵר שְׁבַשְׁמַיִם גְּבוּר מִן הָעוֹלָם עַד עוֹלָמִים:

ברוך הנותן ליעף כח ולאין אונים
עצמה ירבה
אמן.

FINIS.

AD

LECTOREM CANDIDUM

Epilegomenon Apologeticum.

QVandoquidem Cl. vir, Dominus Matthias Waſtmuthus, *S.S. Theologiæ D. & Linguarum Orientalium in Academia* Kilonienſi *profeſſor publicus, pro eo, quo flagrat Textûs Veteris inſtrumenti Originalis Zelo ſingulari, & planè divino, Novatores quoſdam, nominatim,* D. D. Waltonum, Voſſium, Capellum & Conringium, *ob ſua Codici Hebræo præter omne Meritum intentata ἐγκλήματα, haud ita multò ante pro meritis ſuſcepit*

ſuſcepit caſtigandos, & opuſculo ſuffragiis Academiarum celeberrimarum, Doctorum, Profeſſorum, & in hac palæſtra exercitatiſſimorum, comprobato, illos triumphatos ſummo belli ſacri jure duxerit, aliqui forſan illiberaliori genio & ingenio viri, qui omnia in negotio Religionis parcâ manu tractari vellent, crimini Supererogationis mihi vertent, quod ego debellatis bellum inferrem. Et ne ſine ratione conqueri videantur, obtendant, veritati è manibus Elianis *vindicatæ injuriam à me inferri, quaſi victoria in Codicis Hebraici hoſtes fœliciùs parta, adhuc anceps & incerta penderet, dum tractatum de eadem controverſia conſcriptum prelo ſubjicio literario, atque ita prælium redintegratum eo. Imò pronum eſt, illis, qui inopinato animi impetu feruntur, quod in Proverbio Hebræorum eſt, mihi invidioſe objicere.*

עַמָּא קְטִילָא קַטְלֵת הֵיכְלָא קְלִירַת קַטְחָא טָחִינָא טְחִינַת ; Sanhed. fol. 96. 2.

Hoc eſt. Me populum occiſum, occidiſſe; templum combuſtum, combuſſiſſe; farinam molitam, moluiſſe. *Sed* אַדְחֵר אֲבַן ; *jacta eſt alea. Vincat veritas, & nil moror convitia, quibus homines maleferiati Veritatis teſtes & aſſertores onerare ſolent. Hoc tamen (uti par eſt) palàm profiteor, me non ideò punctorum vindicias inſtituiſſe, quòd putem viros, qui me in hoc negotio præiêrunt, Clariſſimos doctiſſimoſque, punctorum authoritatem poſt tot exantlatos labores, ſuſpenſam & ancipitem in medio reliquiſſe; neàm deploratam. Quid in hac cauſa præſtiterunt Clariſſimi* Buxtorfii, *pater & filius; quid* Marcus Marinus Brixianus, *quid* Cevallerii; *quid* Gerhardus, *quid D.D.* Owenus, *reipſa experiuntur* Eliani; *etſi experientiam diſſimulare mallent, quàm Opinioni, cui ſta-*

ſtabiliendæ, propagandæque (quem in finem ipſi viderint, cæterorum enim nemo non videt) tantam operam & oleum prodegerant, renunciare? ſeriò tamen illos (ſiquid ego auguror; faxit Deus ne fallat Augurium) diſſimulatæ experientiæ pœnitebit! Clariſſimus enim Waſtmuthus, non tantùm oſtendit argumenta, quæ pro ſua defendenda ſententia adducunt nulla eſſe, ſed, & viros hujuſce ſeculi Doctiſſimos, harumque rerum peritiſſimos, contra ſententiam, quam Doctorum omnium ſuffragiis inniti, crepare, more ſuo, (hoc eſt, Thraſonicè) ſolent, ferè omnes, teſtes produxit; quorum Catalogum ex illo petere licet. Hiſce verò non obſtantibus, cauſas habui ſatis graves, cur ab opere inſtituto deſiſtere minùs velim, quarum aliquot lectoris Candidi in gratiam hic memorare, libitum eſt.

(1.) Quia (licèt id maximè vellem) non potui; ex manibus enim meis prius elapſum eſt hoc opuſculum, quàm contigit mihi Waſtmuth videre. D. D. Caſtellus (gratulabundus confiteor) pro eâ, quâ eſt, humanitate, tertiâ quidem operis Waſtmuthiani parte ante aliquot menſes me donavit: primæ verò partis, in qua deditâ operâ punctorum vindicias inſtituit, nullatenus facta eſt mihi Copia, nec ut fieret vel prece, vel pretio, impetrare potui, donec vir quidam πολυμαθὴς, ex quo vindiciæ noſtræ typis mandabantur, benevolus mecum communicare dignatus eſt.

(2.) Quia viri docti, & partium ſtudio minimè abducti, Contrarium ſuaſerunt, quorum judiciis non duci, ego inurbanum & ſordidum duxi.

(3.) Quia nullibi ferè proſtat opus Waſtmuthicum Venale; & forſan quibus illud legere non licet, meum licebit.

(4.) Quia

(4.) *Quin peſtis ex Prolegomenis* Waltonianis *in noſtrâ regione frequentiſſimis oriunda, indies graſſatur; opus igitur erat frequentiſſimis ſubinde remediis, &* Alexipharmacis, *quibus contagia & μιάσματα mali adhuc ingraveſcentis præcaveantur.*

(5.) *Quin licet mihi ſine vanitate (etſi ſine ſummâ reluctantis genii & ingenii ægritudine non licet) ſperare, hunc Controverſiam aliquid lucis à noſtris lucubrationibus fœnerari, quod in aliis (quos contigit mihi videre) fruſtrà quæret lector* Βιβλιοφιλὴς. *Sed juxta tritum illud Arabum;* قد تبين الصبح لذي عينين

Facilè apparet Aurora Oculis prædito.

(6.) *Quia ut* Thraſonicè *gloriandi anſula* Familiæ Elianæ *præripiatur, oportet: quod tamen per Veritatis Hebraicæ hoſtium ingenium juſto ſervilius fieri nequit, donec ex multis punctorum vindicias ſubinde inſtituentibus, Sole Meridiano clariùs (quod &* Eliſcha *olim in cauſa haud multùm abſimili) apparet, plures eſſe, qui nobiſcum, quàm qui cum illis ſunt. Ipſi enim* Eliæ *ſequaces, non ex argumentorum pondere judicium ferunt, ſed ex Auctorum numero conjecturam in hâc cauſâ faciunt. Hinc ſolenne eſt illis* (h. e. *mendacium inſolentiſſimum*) *clamare ad nauſeam uſque,* OMNES, *præter unum & alterum (quos* Iſaacus Voſſius, *ipſe ſcilicet (ſiquis alius)* Αὐθαδείας *genius, pro ſeſquijudæis, Semidoctis, Aſinis, &c. habet) Hebraicè doctos, in eâdem ſecumipſis ſententia eſſe: cujus contrarium in hoc opuſculo extra omnem dubitandi aleam poſitum eſt; atque ideo, ſi nihil ponderis argumentoſi (quod ſemper quidem nihili faciunt* Elianiſtæ) *in punctorum patrocinium cedens, in hiſce chartulis contuliſſem; me tamen, quod operæ pretium eſt, feciſſe,*

dum

dum aliquid ſaltem Nominis Catalogo Teſtium Veritatis Hebraicæ, contuli, conſidere licet. Et certè quibus puncta Hebraica habentur ſacra & Authentica, ex nimia quâ laborant à ſententiâ publicandâ averſatione, aliquid animi Elianiſtis *addidiſſe arbitrari fas eſt. Semper enim error in paucitate Orthodoxorum gloriatur; heu! & ſæpiùs gaudet. Sed hoc ſecula ſciant* Eliana, *inter quàm plurimos, quos in hâc cauſâ conſului eximios Theologos, Philologoſque, vix unum & alterum è Decade inveni, qui à ſententiâ* Antiſtigmatica, *non abhorrent. Ne verò literarum Monumentis traderent ſententiam, prohibuit innata, quâ erant modeſtia, vel alia aliqua privata ratio, quæ me fugit. Rectiùs verò* Auguſtinus; *cujus hæc fuerit ſententia. Optandum eſſe ubi Hæreſes vigent, ut quicunque aliqua ſcribendi facultate præditi ſunt, ij ſcribant omnes, etſi non modo de rebus iiſdem ſcripturi ſint, ſed eadem etiam aliis verbis fortaſſe ſcripturi. Haud abludit Cl.* Waſtmuthus. *Cum autem (inquit ille.* Vind. Περσιν. Sect. 3. pag. 29.) *poſt tot Claſſica & receptus, nihilominùs adhuc ferveant partium ſtudia, & novis ſubinde, iiſque maximi nominis Authoribus, excitentur, ac defendantur illæ deteſtabiles, & falſiſſimæ hypotheſes* Capellianæ, *ceu Accentuum non ſolum doctrinæ, ſed etiam totius Scripturæ S. Authentiæ infeſtiſſima ſigna: ut veriſſimè conqueri liceat cum Cl.* Hullio, *nos in ſequiora tempora incidiſſe, quibus verſipellis veterator Diabolus, mutatis ſæpè perſonis ſuam inſtaurat fabulam: & noſtrum proinde erit, minimè deſertas linquere Hebraicæ Veritatis partes, nec ociosè ſpectare hæc bella Domini, ſed quâ quiſque valet arte, ac Marte, ſtrenuè propugnare, totius Cœleſtis Chirographi tam integritatem, quàm Authentiam infallibilem. Hactenus* Waſtmuthus; *Cujus bonâ cum veniâ, rationibus verò ſuprà allatis fretus*

non

non potui non permittere, haſce punctorum Hebraicorum vindicias, ut in lucem prodeant. Quibus hiſce minùs ſatisfactum eſt, opuſculum meum ubicunq; illis ſit obviam, licet (per me) inſalutatum præterire. Cæteri verò quin gratias Deo propter me, (minimo Sacri Codicis Hyperaſpiſtarum licèt (minorem) agant mihique ignoſcant, (ſiquid in hoc opere erravi) propter Deum, nullus dubito.

UNIVERSITY LIBRARY CAMBRIDGE

FINIS.